CONFVTATIO COMMENTICIAE OPINIONIS ROBERTI BELLARMINI E SOCIETATE IESV,

DE TRANSLATIONE IMPERII

Romani à Græcis ad Germanos, inſtitutioneq; VIIvirûm Electoralium per pontificem Romanum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

XIII 34

Auctore

MATTHAEO DRESSERO.

FRANCOFVRTI
ad Mœnum,

Anno CIↃ IↃ XCII.

AD MAGNIFICVM VIRVM, NOBILITATE, DOCTRINA, VIRTVTE, ET SAPIENTIA ANTEcellentem, dominum Chriſtianum Diſtelmeierum, illuſtriſs. ſeptemviri, Marchionis Brandeburgici Cancellarium, dominum in Radesleben, & Malſtorff, Proœmium.

VEtus eſt certamen in Eccleſia & Repub. Chriſtiana de poteſtate Imperatoris Romani, & pontificis, vtra ſcilicet ſuperior ſit, & præferenda alteri. Etſi enim Chriſtus diſerte dominatu interdixit Apoſtolis, ipſeq; adeo & Apoſtoli Cæſaris Romani ſubditos ſeſe profeſsi ſunt: tamen inuenti ſunt inde ab anno Chriſti 1076. vſque pontifi-

ces, qui contra ius faſque, imperii ius dignitatemq; ſibi arrogarunt. Caput certaminis huius fuit Gregorius VII. ante dictus Hiltebrandus: qui vt dominari ipſe poſſet, Henricum IV. Imperatorem vi, dolo & fraude omni oppugnauit. Hic eſt Papa, qui gladium eripere Imperatori primus, ſibiq; vẽdicare conatus eſt. Hic eſt furia illa, quæ incendium in orbe Chriſtiano excitauit, idq; non aqua, ſed ruina reſtinguendũ eſſe exiſtimauit, & in Imperio Rudolphum ei ſurrogauit. Hiltebrandi veſtigia perſecuti ſunt cõſequentes Papæ, quibus acerrimum certamen fuit cum Imperatoribus de ſupremo in orbe Chriſtiano dominatu. Et vt id, quod animo intenderant, perficere facilius poſſent, iuris canonici, & ſcholaſticæ Theologiæ præſidiis, tãquam armis ſeſe munierunt. Hinc maiori cõtentione vtrinq; pugnatum eſt: Canoniſtis & ſcholaſticis pleriſq; omnibus pro pontificis auctoritate & poteſtate dimicantibus. At in his tamen ipſis nonnulli extiterunt, apud quos plus valuit religionis & iuſtitiæ cultus, quam pontificiæ tyrannidis metus. Hi pontificem quidem

dem nõ auſi ſunt oppugnare, ſed repugnare tamen iniuſtæ & ſuperbæ illius dominationi nihil dubitarunt. Jn horum numero habetur in primis Gulelmus Occam, natione Anglus, ſcriptor acutiſsimus, qui nihil minis, nihil gratia pontificis territus ſtylo perfidiam & impietatem Ioannis XXII. Papæ aduerſus Ludouicum Imperatorem perſecutus eſt. Jtaque non minus quam Imperator ipſe a Papa excõmunicatus, cum in fugam ſe dediſſet, ad Imperatorem conuerſus dixit: ô Imperator, tu me gladio defende a Papæ iniuriis; ego te verbis & ſcriptis defendam. Eodem zelo ardens Marſilius Patauinus librum ſcripſit ad Imperatorem eundem, cui titulum fecit, Defenſorium pacis: in quo rationibus ſolidis, omnique exceptione maioribus confirmauit, Papam eſſe ſub Imperatore. *Nec defuerunt ſequentibus ætatibus Theologi, & iuriſconſulti, qui Imperatorem imperare, Papam imperata facere iuſtum eſſe demonſtrarunt: vt iam planum manifeſtumq; toti Chriſtiano orbi factum eſſe videatur, nihil iũris, nihil poteſtatis in imperium*

pontifici Romano relictum eſſe. Et tamen præter opinionē nuper admodum exortus eſt ſcriptor quidam, Robertus Bellarminus è ſocietate Ieſu, qui hoc deteſtabile, & omnibus piis inuiſum certamen, de pontificia auctoritate & poteſtate renouat, imperiumque occidentis ita pontifici adſcribit, tribuit, aſsignat, addicit, quaſi in ipſius manu ſit, cui velit illud tradere, vel eripere. quod profectò eſt Papam longe ſupra Imperatorem efferre & collocare. Hoc commento impio cum imperii minuatur maieſtas; haud ἀναύλῳ φώνῳ relinquendum eſſe duxi: ne ſcriptor ille infinitā ad maledicendum licentiam ſibi datam eſſe arbitraretur. Scripſi igitur confutationem neq; amplam, neq; grandem, ſed liberam tamen, & firmamenti roboriſque, vt mihi quidem videtur, aliquid habentem.

At cum in tanta copia patronorum imperii quærerem, cui potiſsimum eam inſciberem: tua amplitudo, Diſtelmeiere omnibus animi & fortunæ bonis ornatiſsime, viſa eſt mihi inprimis idonea, cui conſecrari rectiſsime

poſſet.

poſſet. Etſi enim cauſa bona patrocinio minus eget, eaque veritatis vis eſt, vt contrā hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam facile ſeipſa per ſe defendat: tamē neſcio quomodo plus roboris & virium habet id, quod magnis & ſapientibus quibuſque probatur. Sed quis eſt eruditorum & magnorum virorum omnium, cui tu vel prudentia, vel rerum vſu comparari nequeas? Ac ſi beatus vere eſt prædicandus, vel pater, cui filius eſt talis, qualis eſt ipſe, vel filius, qui patrem dignitate, virtute & felicitate æquat: quis aut patre tuo, Lamperto Diſtelmeiero beatior eſt, qui te filium hæredem ac ſucceſſorem non tam bonorum & prædiorum, quam muneris ampliſsimi poſt ſe reliquit, aut te, qui in eodem dignitatis gradu collocatus, quo ipſe permultos annos fuit, pari ratione ſapientiam, fidem, induſtriamq; tuam non ſolum Electori Brandeburgico, ſed toti etiam imperio Romano probas? Et cum pater tuus ſtudii hiſtoriarum cultor & patronus ſingularis atq; eximius extiterit: non fas eſt de te aliter ſentire, quam eodem genere ſtudii te quoq; delecta-

ri, perfrui, & paſci. Quod cum ita ſit, non dubitabo, te, tam propter pietatem in imperium, quæ in te ſumma eſt, quam propter hiſtoriarum etiam ſcientiam, quæ tibi cum patre ampliſſimo communis eſt, ſcriptum hoc hiſtoricũ, quod in fide clientelaq; tua pono, gratum acceptumque eſſe habiturum. Mordax eſt, vel certe cum aculeo & maledicto diſertus Bellarminus, verum conuitiis certare cum eo non libet. Potero tamen, ſi reſponſione inimica forte laceſſiuerit, & ipſe deinceps oratione magis dentata uti. Unum eſt quod mirari vehementer ſoleo, Jeſuitas, qui fulcra & columina pontificiæ ſedis habentur, fundamenta ſui patrocinii firmiora excogitare aut proferre non poſſe. Hæc enim, quæ Bellarminus vſurpat, nimis tenuia & imbecilla ſunt: quæ, ſi æquo iure d ſceptandum eſſet, celeriter tanquam floſculi deciderẽt, vel certe tanquam falſa aut commentitia fabula conciderent. Quod ſi fulcra meliora aut ſolidiora nulla habet pontificia ſedes; omnium bonorum & recte ſentientium iudicio cadat neceſſe eſt. Sed ita fieri in mala cauſa ſolet, vt

cum

cum firmamenti ac virium nihil relictum eſt, σφὰ φάρμακα, vt Poeta inquit, quærantur. Hanc pontificiam ſophiſticā pater tuus in magna varietate negotiorum ſeptemviralium, & imperialium ſæpenumero expertus eſt: & tu in cauſis ad ſeptemviratum Brandepurgicum, atque adeo ad imperium totum pertinētibus quotidie experiris. Quod reliquum eſt, te oro, vt inſcriptionem hanc nulla temeritate ſuſceptam, ſed ab amore & ſtudio in te meo iuſto ac debito profectam, in partem optimam accipias: tum, vt diu etiam rebus publicis & priuatis, in inclita ditione Brandeburgica cōſilio, re & opera proſis, ex animo precor.

Vale. Lipſiæ Cal. v 11bris, anno Ieſu Chriſti 1591.

Confutatio.

QVi admonent amicè, inquit Cicero, docendi ſunt; qui inimicè inſectantur, repellendi. Quorum alterum ſermonis eſt, alterum contentionis. Ego vero eum me eſſe profiteor, qui diſputatione placida & amica magis quam acerba, & inimica contentione delectetur. Nec hoſtes ego putare ſoleo eos, à quibus de veritate diſſentio. Diſſenſit ſæpe à Catone ſuo Cicero: diſſenſit ſine acerbitate à Q. Metello P. Africanus. Immò perſuaſum id mihi ſemper habui, poſſe coniunctos eſſe amicitia, qui diſiuncti ſunt ſententia. Quo animo ſi tu quoq; es, Bellarmine, admonitionem meam amicam, in qua nulli aculei contumeliarum inſunt, ſine offenſione accipies, & ſicubi per errorem me lapſum deprehenderis, in viam reuocabis. Hoc philoſophicum, hoc Chriſtianum, hoc Theologicum deniq; eſſe maximè duco. Patior te religionis tuæ patronum, cuſtodem, & defenſorem eſſe: ſed ita tamē, nihil vt amplectar aut approbem,

niſi quod ſanctum Dei verbum admittit aut docet. Pro hoc enim acrius quam pro anima aut vita ipſa. propugnandum iudico. Diſputare igitur ſi vis, aut diſſentientes à te in religionis doctrina refellere, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως vt id fiat, prouidebis. Hiſtorica ſi tractare vis, fidem vt pręſtes enitêris: vt integrè caſteque verſari in ſuſcepto officii munere videaris. Male enim res ſe habet, cum mens ſcribentis oppreſſa eſt præmio, lingua aſtricta mercede. Nec fieri poteſt, vt animus verū prouideat, vbi vel metus, vel odium, vel gratia officiunt.

In te vero, Bellarmine, video & facultatem ad ſcribendum eſſe, & vſum in Theologia ac hiſtoria haud vulgarem. Vnum eſt quod in te probare minus poſſum. Dicam enim ingenuè, vt fert ingeniū Germanicum: & quod tu de Germanis ſcribis, eos vt corpore candidos, ita animo ſinceros eſſe, id re factoq; tibi declarare conabor. Quid vero eſt, quod in te deſidero? Libertas, cuius proprium eſt ſic ſcribere, vt ſentis. Sentire quidem te non malè multis rebus perſpicere mihi videor: ſed id quod ſentis, liberè eloqui, aut efferre non audes. Rectè autem loqui, eſt ſecundum præſcriptum diuini verbi loqui in doctrina Eccleſiæ; in hiſtoria autem ſecundum pręſcriptas à Cicerone leges, ne quid falſi dicere au-

deas,& ne qua ſuſpicio gratiæ ſit,ne qua ſimultatis. Quid tu? in vtraq; doctrina Eccleſiæ & hiſtoriarum ita tibi caues, vt ne in offenſionem pontificis Romani cadas. Ex quo id tibi vſu venit, quod iis ſolet accidere, qui ad gratiam loquuntur. Quod ſi tam ad veritatem, quam ad gratiam ſcribere velles, næ ſcriptor eſſes diſertus & omni laude cumulatus diſputator. Nunc vero ita addictus & conſectatus Romano pontifici, quid, niſi quod ipſe probat, ſcribere potes? nempe diſtrahitur animus tuus, & aliò te veritas, aliò pontificis auctoritas trahit. Fitq; adeo, vt quoties è vado & ſcopulis emergere, & ad veritatem verbi diuini reuocare rationem inſtituis, Romanus Apollo te retrahat, & ad gratiam loqui cogat. Quod quid aliud eſt, quam gratię habere addictam fidem & religionem?

Sunt quidem ad ſpeciem veritatis adumbratæ diſputationes tuæ Theologicæ, quas vidi, & acumē præ ſe ferunt magnum. Sed accurate ſi inſpicias, funes ſunt ex arena connexi; quia magis ad Eccleſiæ pontificiæ nutum voluntatemque, quam ad diuini verbi normam omnia dirigis. Quod autem minus multi hactenus, quod quidem ſciā ego, tibi ſeſe oppoſuerunt, inde factum eſſe exiſtimo, quod nihil tu, niſi quod antea toties confutatum eſt, profers.

Nec

Nec profectò res eſt, quam quiſquam eruditorum magno negotio dignam putet, ea ex puris fontibus Iſraelis diſſoluere & labefactare, quæ tu ex pontificiæ Eccleſiæ lacunis hauſiſti. Sed omiſſis Theologicis, placet paucis diſſerere tecum de traſlatione imperii Romani à Græcis ad Francos, & conſequentes Imperatores, quam tu vni Papæ Romano acceptam refers; ego vero à pontificibus Romanis alienam & abhorrentem eſſe arbitror. Ac tu quidem, neſcio quomodo, dum pontificem tuum ornare vis, eiuſque dignitatem & potentiam amplificare, omnem ei auctoritatem, quam eccleſiaſticum munus tribuere ſolet, detrahis. Verum ſi quid forte eſt, quod te excuſet, fides data pontifici excuſet neceſſe eſt. Iuratus enim facis quicquid facis. Malum certè, ſi etiam in mala cauſa operam & fidem addixiſti pontifici. Penè adduci non poſſum, vt credam ex animo te loqui aut ſcribere, cum Pontifici ius poteſtatemque transferendi regna & imperia tribuis. Non hîc Theologus, cuius modo aſtricta non eſt mens & lingua mercede, tibi fidem habet, non iuriſconſultus, non hiſtoricus. Hyperbole eſt abhorrens ab omni ſenſu & iudicio. Id quod & rationibus euidentibus, & teſtimoniis illuſtribus probaturum me eſſe in hoc ſcripto polliceor: ſed ſine odio,

ſineq; acerbitate omni, ſine conuitiis etiam & contumelia. Seponam pauliſper pontificis auctoritatem: nec plus tamen interim concedam Romano Imperatori, quam amplitudo illius nominis fert atque poſtulat. Res cum re, ratio cum ratione, teſtimonium cum teſtimonio certabit.

Si vero miraris, aut quæris fortè, cur ego hanc mihi potiſſimum ſepoſuerim partem, in qua elaborem: rationem conſilii mei animo æquo cognoſce. Tu, quo plus æquo tribuis Romano pontifici, eò plus de Romano imperio detrahis. At Romanum imperium ordinatio diuina eſt. Quare committẽdum non eſt, vt tu pontificis gratia, adeo eius dignitatem imminuas, vt pontifici Romano ſubiicias, & ab eo ita pendere contendas, vt quemadmodum olim, Eccleſiæ cauſa id exigente, per eum tranſlatum eſſe à Grçcis ad Germanos fingis; ita nunc etiam ob eandem cauſam transferri per eundem à Germanis ad aliam nationem poſſit. Quæ poteſtas pontificis, ſi vera eſt, ſuperat omnem potentiam, quæ in mũdo eſt; ſin ficta, non eſt ferenda tam turpis & deteſtanda ſiue pontificis arrogantia, ſiue defenſorum eius adulatio. Quid aliud hoc eſt, quam dedecore, macula, ignominiaq; turpiſſima notare imperium, caput eius Imperatorem, & principes Electores, omneſq;

mneſque adeo illius ordines? An non venit tibi in mentem, cum hanc hyperbolen effundebas, quid Germani? quorum auris & animus à turpi aſſentatione abhorret. An hebetes adeò videntur, vt nihil attendant? adeò ſtupidi, vt quæuis pontificia commenta arripiant, & pro veris habeāt? Minimè. Sunt in Germania non minus quam in Italia iam olim fuerunt & hodie ſunt, Theologi & Iuriſconſulti, qui pontificis impium faſtum exſecrantur, ſuperbumq; eius dominatum iure omni oderunt.

Quod ſi Epiſcopum eſſe patereris Papam tuum, minus id odioſum eſſet, honeſtius verò multo. Sed dum ſupra imperatores eum effers, quibus nihil habet hic orbis ſanctius, venerabilius, maius, auguſtius, quis non iure inſolentiam, tanquam inſaniam quandam, orationis oderit? An non putas Theologos, quando audiunt Papæ potentiam ita amplificari, vt transferre imperium, quod ſummum eſt in terris, poſſit, quærere, vndenam ſit poteſtas tanta? Ac ſi dicas tu, à Deo, vel ex cælo eſſe, teſtimonia flagitent ſcripturæ, quorum ſi nulla proferri poſſunt, vanitatem gloriationis impiæ deteſtentur, & oderint? Scripturę dicta ſi qua tu forte allegas, ea detorta eſſe, & à vero in adulterinum ſenſum conuerſa, facile quiuis intelligit. Iuriſconſulti de iure quærũt,

quo id, quod tu pontifici affingis, fiat. Hiſtorici cõmentum rident. Non enim pro hiſtoriis omnia habenda ſunt, quæ tu ex hiſtoriarum monumentis recitas. Deſideratur fides, requiritur iudicium, opus eſt dexteritate. Nec omnis narratio, aut particula in hiſtoriis poſita teſtimonium eſt ad confirmandum aliquid aut infirmandum ſatis aptum. Sed videndum, quo conſilio, aut propoſito quidque narretur, & ex temporum morumq; cuiusq; ſeculi cõditione naturaque iudicium faciendum eſt. Sed id poſt viderimus.

Nunc rationem duntaxat ſuſcepti conſilii ſiue ſcripti huius reddere debeo, quæ alia ferè nõ eſt, niſi pietas, quam patriæ, quę eſt imperium hoc Germanicum, debere me profiteor. Huius ſane dignitatem, libertatem, atque decus à labe ea, quam tu ei aſpergis, vindicandam, & ex faucibus põtificis Romani eripiendam omni ope atque contentione arbitror. Ac ſi forte luſiſti in argumento ἀδόξῳ, laboris mei me pigebit: ſin ſerio ſcripſiſti, nõ ferẽda eſt licentia. Et cum argumentum totũ ſit hiſtoricum, nihil alienum à profeſſione mea, ſed officium potius Deo gratum, magiſtratui vero meo debitum me facere exiſtimo, ſi commentum abſurdum quod tu tibi defendendum propoſuiſti, ego labefactandum mihi ſumam.

Non libet hic commemorare, quot, quantaq; incommoda & abſurda inde proueniant, ſi hypotheſis tam inconueniens tibi concedatur. Certè cõfuſionem iuducit horribilem in imperiũ hoc Germanicum, quod Deus accuratis limitibus vult eſſe diſtinctum ab Eccleſiaſtica poteſtate. Verbum diuinum & naturam rerum euertit, dum Papam, qui ſubiectus eſſe debet, ſupra eum, cui imperium eſt commiſſum, collocat. Maieſtatem imperii minuit, dum eam põtifici ita ſubiicit, vt ab eo transferri etiam ad aliam nationem poſſit. Principes Electores, cunctosque adeo imperii ordines dedecorat, dum quicquid poteſtatis illi in imperio hoc ſacro habẽt, id põtifici acceptum refert. Potuiſſem & ego commentum hoc pontificium contemnere, quemadmodum alii rident & aſpernantur, niſi tu, Bellarmine, ſcriptor diſertus habitu orationis, & quaſi colore aliquo fucum, vt dicitur, facere conareris. Fucum dico, verbo molli rem aſperam notans. Quid eſt enim fucum facere, ſi hoc non eſt, cùm ſpecie quadam aſſimulatę veritatis mentes hominum in fraudem impelluntur, vt falſum pro vero arripiant, & iura dignitatemq; imperii omnem à Papa, tãquam à fonte ſacro auguſtoq; manare credant?

Planum facere vis, Papam Leonem III. trans-

manum à Græcis ad Germanos, vel imperium Romanum ipſe habuit, vel poteſtatem transferendi ab alio accepit. Sed imperium Romanum nō habuit, neq; poteſtatem transferēdi ab alio accepit. Transferre igitur imperiū ad Germanos quî potuit? Hic ridiculus eſsem, ſi quod iuris eſt manifeſti, in maiori propoſitione, id confirmare legibus vellem. Quis enim eſt qui ignoret, aut ſaltem dubitet, quin neq; donare quiſquam poſſit id quod ſuum non eſt; neque transferre in alium quod ipſe non habet? Quare non eſt quod laborem, quemadmodum id probem, aut quemadmodum me explicem dicendo.

Alterum vero, ſiue minor propoſitio operoſior quidem eſt aliquanto: ſed ita planam faciam eam, vt ne tenuiſſimus quidem ſcrupulus reſidere videatur. Dico non habuiſse pontificem imperium Romanum. Quid ita? A Græcis tranſlatum eſſe, ais, per illum ad Francos. Græci ergo imperium translationis tempore tenuerunt. Quod ſi domini imperii fuerunt Græci, vel ipſi tranſtulerint ad Carolum Magnum, vel vi occupauerit Carolus neceſse eſt. Hic nullæ ſunt partes Romani pontificis, niſi forte ſe ſuffuratum eſse imperium dicat, & ad Carolum tranſtuliſse. Quod neq; de Papa dici ſanctè, neque de Carolo, eiuſque ſucceſsoribus in imperio

Romano prædicari honeſte poteſt. Neque etiam donatum ſibi à Græcis Imperatoribus eſſe imperiũ dicet pontifex: quia id neque teſte vllo probari poteſt, neque res & veritas ipſa concedunt.

Quod Græci, pulſis Italiâ, Belliſarii & Narſetis opera, Gothis, occidentale imperium recuperarint, & cum orientali iterum coniunxerint, ipſe fateris. & recte quidẽ. Eſt enim hiſtoricum. Immò Theodoricum ipſum Gothorum regem, quoad imperiũ occidentis tenuit, nõ Imperatorem, ſed ſubiectum Imperatori fuiſſe rectè cenſes. Eſt enim hiſtoricum. Nec hic vel Vrſpergenſis, vel Olai Magni, vel Naucleri, vel Platinæ, vel aliorum teſtimonio opus eſt. Res aperta manifeſtaque eſt. Poſt Gothos Longobardi ex Pannonia effuſi cum vxoribus & liberis Italiam occuparũt, & in ea regnum Longobardicum conſtituerũt, anno Chriſti 568. idque annos 206. tenuerũt. Sed imperium tamen occidentale adepti non ſunt. Id enim Græci Imperatores ſibi iure omni vendicarunt, & per Exarchos ſuos vſque ad annum Chriſti 747. rexerunt, nec poſt occupatam à Longobardis Rauennam eo ceſſerũt, donec miſſis ad Carolum Magnum legatis, Imperatorem & Auguſtum illum ſalutarũt. Patet igitur imperium occidentale penes Græcos fuiſſe eo tempore,

quo

quo ad Carolum Magnum tranſlatum eſt. Italiæ verò regnum in Longobardorum poteſtate fuit vſque ad illud ipſum tempus, quo captum Deſideriũ Carolus Magnus regno & potentia omni exuit, Italiaq; tota expulit. Quæ hîc partes ſunt pontificis Romani? Adeo nihil reliquum illi fecit fortuna, vt ne Romæ quidem, vbi conſiſteret, reperiret. Comprehẽſus enim & incluſus in arctam cuſtodiam, vix inde ereptus ad Carolum Magnũ, in Germaniam profugere potuit, ad quem querelam acerbiſſimarum principum Romanorum in ſe iniuriarum detulit, & vt occidenti Reipubl. aliquid opis afferret, pergeret,

Nota eſt ex hiſtoriis querela Leonis Papæ, quã tunc apud Carolum habuit. Inter cætera fatetur, ſe debuiſſe quidem ad Imperatoris fidem auxiliumq; confugere: verum id propterea facere non potuiſſe, quod ab eo plus detrimenti quam auxilii expectandum ſibi eſſe viderit. Quæ ſanè confeſſio liquidò confirmat ſub Græco Imperatore tunc imperium occidentis fuiſſe. Idque factum eſt ante Caroli coronationem, anno Chriſti 792. Narrat etiam Vrſpergenſis valde ſuſpectum fuiſſe Imperatoribus Græcis Caroli nomen, quaſi qui imperium eis præripere vellet. Quod itidem oſtendit eo ipſo tempo-

re, quo translatio imperii facta eſt, ſub Græcorum imperio illud fuiſse.

Quid? quod ne Roma quidem, ne dum Italia, aut occidentis imperium, per id temporis in pontificis poteſtate fuit. Dederat enim paulo ante tranſlationem imperii, anno ſcilicet Chriſti 774. Hadrianus Papa Carolo Magno poteſtatem eligendi pontifices, ordinandique ſedem Apoſtolicam, tum inſtituendi etiam Archiepiſcopos & Epiſcopos per omnes prouincias: idque conſentiente vniuerſo procerum conuentu. Poſt Hadrianum Leo III. claues confeſſionis ſancti Petri, & vexillum vrbis ad eundem miſit: tunc, vt Annonius habet, rogauit, vt aliquem ex optimatibus ſuis Romam mitteret, qui populum Romanum in fide & ſubiectione per ſacramenta firmaret. Ex quo iterum elucet, nullam particulam occidentalis imperii penes pontificem fuiſse. Quod cum ita ſit, quonā modo fieri potuit, vt is imperium ad Francos transferret?

Si ne verbum quidem adderem, planum tamen ſatis factum eſſet, falſam eſse hypotheſin, vel potius hyperbolen tuam, Bellarmine, quæ pontifici Romano imperii occidentalis tranſlationem ad Carolum tribuit. Nam ſi maximè ſuppetiuiſſet pontifici voluntas, omnino tamen defuiſset facultas. Quomodo

modo enim is donet, qui non habet? Quo pacto transferat in alium imperium, qui imperii nullam partem obtinet? Intelligis vero pro tua prudentia, quam ſit iniurioſa appetitio alienorum. Ac ſi Papa ſibi arrogat, quod ſuum neq; eſt, neque eſſe poteſt, quid Papâ iniuſtius erit? Si tu ei affingis tantam imperii magnitudinem, videris quo pacto crimen maximi facinoris effugias. Ego certè Papam tam ſanctum in culpa, & ſuſpicione tantæ arrogantiæ, ſuperbiæ, auaritiæ, temeritatis, & iniuſtitię non auſim ponere. Si quid eiuſmodi de pontificibus Romanis ſcripſerunt hiſtorici, id paucorum pontificum libidini aut cupiditati exſecrandæ attribuendum cenſeo. Hadrianum verò & Leonem III. alioſq; nonnullos à culpa eximo. Quanta enim, quæſo, vanitas eſt, id aſſcribere pontifici velle, quod non ineſt? Iniuria fit bonis & piis pontificibus, ſi qui vnquam fuerunt, qui certè fuêre. Nec dubito, quin tantæ adulationis vehementer eos pudeat tædeatq;. Relinqui poteſt illis coronatio, ſed ita, vt neq; imperii ius, neq; cauſa aliqua in ea ponatur. Eſt enim ritus ſiue ceremonia tantũ, quæ electionem Imperatoris non continet, ſed teſtatam facit, & in conſpectum producit. Sed hæc poſterius.

Nunc quod fundamentum huius quæſtionis

eſt, id ſolidè iactum vides: Quo ſi tu quoque vſus eſſes, Bellarmine, rationes tuas nūquam ad eos ſcopulos appuliſſes, vnde emergere non potes. Hoc caput cauſæ eſt, hic probationis fons. Qui alium quęrit, à ſcopo aberret neceſse eſt: Quod ſi deinceps etiam certare cum Germanis de tanta quæſtione libuerit: primùm omnium fundamētum eiuſmodi ponas oportet, quod liquidò oſtendat, pontificem habuiſse in poteſtate ſua imperium occidentis, ſeu dominum eius fuiſse. Quoad illud non feceris, aberit à te fides. Nihil te iuuare poteſt Eccleſiaſtica pontificis poteſtas, nihil duo gladii, nihil coronatio, nihil luminare maius & minus, quibus tantopere confiditis. Aliena hæc ſunt à cauſa, nec tranſlationē imperii per pontificem vnquam confirmabunt, quemadmodum poſt demōſtraturus ſum, cum tua χρηφύγετα refellere aggrediar. Deinceps quonam modo imperium occidentis ad Carolum Magnum peruenerit, declarandum eſse videtur: vnde conſtare poſſit, iuſtè non iniuſtè, legitimè non illegitimè & initio ſuſceptum eſse hoc imperium, & in poſterum etiam obtineri. Si enim à pontifice proficiſceretur, neque Carolus Magnus, neque ſucceſſorum eius vllus iure illud poſſediſset. Et ſi legitima poſſeſſio imperii non eſset, neque principes Electores, neque

neque alii ordines in imperio ius legitimum haberent. De quo abſurdo quoties cogito, venit in mentem orationis Alexii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qua crimen iniuſtæ & violentæ occupationis Patriarchatus refutauit. Si verus, inquit, Patriarcha ego non ſum, nec veri poſsunt eſſe Epiſcopi, quos annis iam 12. ordinaui: immò nec veri poſsunt eſſe Imperatores, quibus coronam impoſui. Ad eũdem certè modum nec ordines imperii poſsunt eſſe legitimi, ſi, vt tu vis, à pontifice ius dignitatemq; imperialem habent. Nimium hoc eſt imperii maieſtatem minuere, vel potius deſtruere.

Sed quonam modo adeptus eſt imperium occidentis Carolus Magnus: quove iure adhuc illud retinent eius ſucceſſores? Modus acquiſiti huius imperii non fuit alius, quàm monarchiæ Aſsyriæ, Perſicæ, Græcæ & Romanæ. Eſt enim fatalis quædam Rerumpubl. fortuna, quæ nō ſinit eſſe eaſdem perpetuo, ſed à gente ad gentem transfert. De quo fato pluribus nō diſputo, ne in re manifeſta copiam inanem oſtentare velle videar. Medium, tu inquis, eſſe oportuit, quo à Græcis ad Carolum transferretur occidentis imperium. Profectò id quoque medium aliud non fuit, quam hoc ipſum, quo alia imperia multo ante conſtituta fuerunt. Quo medio

imperium primum Nimrodi partum eſt? vi & armis adiunctum eſt. Fuit enim Nimrodus venator robuſtus coram domino, quod eſt, homines, vt feras beſtias, in ſuam ditionem poteſtatemq; redegit, qui antea non niſi domeſtica paternaque imperia tulerant. Ex quo non ſolum in admirationem traduxit homines, ſed terrorem etiam tantum eis iniecit, vt pro terreno quodam numine haberetur. Eodem medio conſtitutum etiam eſt imperium ſecundum Perſicum, quod & ipſum in mundo ſummum extitit, ſcilicet à Cyro, qui Babylonem cepit, & bello perſecutus Aſtyagem, regno eum exuit. Nec alio modo Alexander Magnus monarcha & Imperator Græcorum factus eſt, quàm vi & armis. Nec prius monarchia à Perſis ad Græcos tranſlata eſt, quam Alexander, victo Dario vltimo Perſarum rege, Aſiam ſuo imperio ac poteſtati ſubieciſſet. Quid de Romano imperio dicam? An nõ & ipſum vi & bellis horrendis acquiſitum eſt? Ridiculus eſſem, ſi hæc quæ manifeſta ſunt, ex rerum veterum monumentis demonſtrare vellem. Quo igitur modo & medio imperia mundi antè comparata ſunt, eodem etiam partum eſt imperium Caroli Magni in occidente. Ferro ceperat illud, iuxta Danielis vaticinium. Ferro igitur recuperari ſiue reſtitui, vt

Cranzius

Cranzius loquitur, etiam oportuit. At quæ fuerunt opera in imperio hoc, quę gladio confecit Carolus? quæ item gentes ſunt, in quas ferrum diſtrinxit? Dignum equidem eſt conſideratione & admiratione conſilium Dei in conſtituenda & amplianda monarchia quarta. Eſt enim ea tota propter Chriſti regnũ prædicta iam olim à Daniele, & deinceps re euentuq; ſtabilita. In eius equidem exordio natus eſt Meſſias, & vniuerſum opus redemtionis noſtrę compleuit, Eccleſiam non ſolum inchoauit, ſed longè etiam lateq; per verbi præconium diſſeminauit. Vt autem Eccleſia ſiue regnum Chriſti in oriẽte bonis initiis cepit, ita ſenſim & paulatim meridiem peragrauit, & in occidentem penetrauit. Sed cum vellet Deus latius illud in ſeptẽtrionem etiam diffundi, Carolum Magnum excitauit, cuius opera gẽtes ad ſeptemtrionem multæ ad Chriſti agnitionem atq; cultum conuerſæ ſunt. Cæſares enim orientis, longe nimis aberant, conſederatq; iam pęne omnis eorum ardor in dilatandis & tuendis tam imperii quam regni Chriſti finibus. Quemadmodum põtifex ipſe Leo III. in oratione ſua ad Carolum Magnum conqueſtus eſt. Carolum igitur oportuit ante omnia Weſtualos & Saxones vi ferroque ſubigere, & ad Chriſtum traducere: vt non ſo-

lum occidentis imperium augeretur, ſed ad Eccleſiam quoq; Chriſtianam acceſſio fieret.

Hoc bellum difficile & diuturnum fuit, nec dubium eſt bonam partem occidẽtalis imperii per illud partam eſſe: quemadmodum euentus non ita multò poſt declarauit, cum tota moles imperii huius ad Saxones tranſlata eſt. Repreſſit item ac domuit Sclauos ad Albim, & Salam, Hunnos & Auaros in Pannonia, Saracenos in Hiſpania, Aquitanos in Gallia, quorum ducem Hunoldum nouis rebus ſtudentem expulit. Hoc modo non tantum limites imperii occidentis dilatauit, ſed, quod laude etiã digniſſimum eſt, Eccleſiæ Chriſti fines propagauit, & aditum ſibi ad imperiũ ipſum comparauit. Non enim difficile fuit ex partium collectione totum ſiue vniuerſum conſtituere. Verum ad has partes imperii occidentalis nihil quicquam contulit Romanus pontifex, nihil ad Saxonicum, nihil ad Gallicũ, nihil ad Pannonicum bellum opis tulit. Ad Italiam ſubigendam forte profuit. Nihil quicquam. Immò vt in Italia hærere poſset ipſe, Caroli Magni beneficio & adminiculo aſſecutus eſt. Vterque enim Papa Hadrianus, & Leo III. precibus multis à Carolo contenderunt, vt ſibi ſubſidio veniret: alioqui ne locum quidem ſuum potuiſſent tueri. Teſtis eſt Rhegino, & alii. Super-

Supereſt Italiæ regnum, quod vtrum ad imperium Caroli Magni aliquid contulerit, nec ne, videbimus. Galliæ enim & Germaniæ dominus iã tum erat Carolus: vnum deerat ad imperium occidentis, Italiæ regnum, & titulus coronaq; imperialis. Quomodo autē potitus eſt Carolus Italiæ regno? ferro. Primum enim Hadrianus Papa legatum miſit ad eum in Franciam, rogauitq;, vt ſe vrbemq; ab inſidiis & iniuriis Deſiderii Longobardorum regis defenderet. Erat enim in eas anguſtias adductus, vt ne Romæ quidem ſatis tutus eſſet: quippe cui minatus erat Deſiderius, ſe cum exercitu Romam vēturum, & vrbem hoſtiliter obſeſſurum. Huic tantæ neceſſitati operam ſe daturum pollicitus Carolus, ad Deſiderium miſit, vt bona ablata reſtitueret poſtulans, vel bellum, niſi id faceret, minitans. Deſiderius nihil de ſuo ſtudio perſeuerantiaq; remittēs, bellum ſe paci anteferre ſatis declarauit. Carolus itaque arma in eum expediturus, Francos ex omni parte paratos, non quidem ad ſubleuandam Eccleſiam, ſed ad euertendum Longobardorũ regnum, vt ait Sigonius, inuenit. Vbi ad Alpes cum exercitu acceſſit, iterum legatis ad Deſiderium miſſis, reſtitutionem eorum quæ per vim abſtulerat, popoſcit. Sed cum ne ſic quidem, quod æquum eſſet, quic-

quam impetraret, bello eum perſecutus eſt vſq; eo, quoad Papiam confugeret, vt mœnibus illius ſeſe tutaretur. Filius vero eius Adalgiſus belli paterni ſocius Veronam vrbem munitiſſimam delegit, in qua Francorum impetum ſuſtineret.

Quid tum? Papiam circumſidet Carolus. Sed cum diuturnior obſeſſio futura videretur, relicto ibi Bernhardo Patruo, ipſe Veronam aggreditur oppugnandam. Adalgiſus vero clam aufugit in Græciam, & ſtatim vrbs in Caroli poteſtatem venit. Nec multo poſt reliqua oppida transPadana eidem ſeſe dediderunr. Ad Papiam inde reuerſus Carolus ſacra Romanæ Eccleſiæ in feſto reſurrectionis domini, quod eo tempore inſtabat, videre geſtiit. Itaquė Bernhardo, vt ante, ſic tunc quoque obſidionem vrbis commiſit, ipſe vero Romam iter facere cepit. Quacunq; autem ingreſſus eſt, acclamationibus & gratulationibus lætis acceptus eſt, liberatorq; ac ſaluator Italiæ ſalutatus. Romam vbi venit, ab vniuerſo clero auctor publicæ ſalutis atq; libertatis renunciatus eſt. Româ ad obſidionem Papiæ rediit, vbi ad deditionem inclinata omnia reperit. Itaque ſine mora Deſiderium, vxorem eius & liberos cum regia cepit, Longobardiam vero in fidem ſuam recepit. Non multo pòſt Deſiderium

cum

cum coniuge & liberis Leodium relegauit, vbi etiam è vita exiit.

Hic modus eſt, quo Longobardicum regnum comparauit Carolus, & liberatoris, ſeruatoriſq; vniuerſæ ſalutis & libertatis Italiæ, nomen titulumq; conſecutus eſt. Quid eſt ferro, armis, & victoriæ iure regnum ſibi parare, ſi hoc non eſt? Quis Italiam iuſtius ſibi vendicauit, quam Carolus? qui hoſtem eius furentem audacia, peſtem Romano imperio molientem, vrbi ferrum ſeruitutemq; minitantem vicit, fudit, eiecit, è medio ſuſtulit; ipſi vero Italiæ tranquillitatem pacis & ocii, libertatemque reſtituit.

Ac ſi forte in corona aliquid ſitum eſt momẽti aut ponderis, etiam Modæciæ ab Archiepiſcopo Mediolanenſi corona ferrea redimitus eſt. Tum, vt verus dominus & arbiter Italię, legibus etiam Rempubl. firmauit. Adhæc Romæ in conuentu, ſenatus procerumq; decreto munificentiſſimo honeſtatus eſt, vt patricius Romanus eſſet, archiepiſcopos, epiſcopoſq; inſtitueret, pontificem eligeret, & ſedem denique Apoſtolicam ordinaret. Parum adhuc abeſt à Cæſarea maieſtate Carolus. Et hactenus quidem pontificis partes nullæ ſunt. Bello, & victoriæ iure Carolus, quicquid habet ſplendoris & ampli-

tudinis, aſſecutus eſt, nec alii vlli quam proceribus Italiæ quicquam acceptum refert. De quo ſi forte quis dubitat, Rheginonem audiat, cuius verba ſunt: *Carolus Roma reuerſus venit Papiam, ipſamque ciuitatem armis cepit, inſuper Deſiderium regem cum vxore ſua & filia, omnem theſaurum Palatii. Ibique venientes omnes Longobardi de cunctis ciuitatibus Italiæ, eius ſe ſubdiderunt dominationi. Adalgiſus vero filius Deſiderii fugâ elapſus mare introiuit, & Conſtantinopolim perrexit. Carolus ſubiugata Italia & ordinata, cuſtodiam Francorum in Papia dimittens, cum magno triumpho in Fraciam reuerſus eſt.* Patricii vero dignitatem iam ante etiam Clodoueo Francorum regi anno Chriſti 507. Anaſtaſius Imperator Conſtantinopolitanus contulerat, cum, victis Gothis, munera ampliſſima, cum aureo curru ad eum miſit, & Patricium Romanum appellauit, vt Sigebertus ſcribit.

Tametſi autem Rotgandus Longobardus contra fidem datam rebellare Carolo cepit: tamen non multo poſt pœnas ſuæ defectionis ac rebellionis dedit, cum ab eo captus ac decollatus fuit. Spoletanorum vero dux Hiltebrandus munera magna ad Carolum detulit, eiuſque poteſtati ſeſe ſubiecit: quod ipſum etiam factitauit Heregiſus Beneuentanorum

rum dux: quippe qui miſſo filio ſuo cum muneribus magnis, pacem petiuit, imperata ſe facturũ pollicens. Nullum hactenus ſignum, nullumq; argumentum collatæ aut tranſlatæ ad Carolum imperialis dignitatis per pontificem. Sed forte Leo, qui Hadriano ſucceſſit, aliquid contulit. Age, quid fecerit, hiſtoria docebit. *Statim*, inquit Rhegino, *legatos ad Carolum miſit cum clauibus confeſſionis ſancti Petri, & vexillo Romanæ vrbis.* Bene. quod habuit Papa ſummum precium, id liberaliter Carolo impertiuit. Quid habuit? Claues S. Petri. At hæ non ſunt imperium occidentis. Quid amplius? Vexillum vrbis Romę, quod ſiue à pontifice, conſentientibus proceribus, ſiue à Papa ſolo miſſum eſt, non ſane dominatum aliquem aut imperium pontificis declarat, ſed ſubiectionem potius ſignificat infra Carolum Italiæ regem ac dominum: vt iam non Papa, ſed Carolus ius poteſtatemq; Romę vrbis habeat. Etſi maximè aliquid iuris aut imperii in vrbe Roma habuiſſet Papa, hac ipſa traditione clauis & vexilli, amiſiſſet. Alioqui quid clauis & vexillum vrbis eſt, non intelligo. Id vero ſcio, iam ante etiam traditam eſſe Carolo principatus dignitatem in vniuerſali Synodo, vt ait Sigebertus. Et in ſcholis pueri diſcunt, clauibus gubernationem domeſti-

cam ſignificari. Niſi forte ob id neges claues tunc eſſe datas Carolo, quod multo poſt Papa Iulius cótra Gallum infeliciter ducto exercitu, clauem S. Petri in Tyberim proiecit, cum ira inquiens, *quia non valet amplius clauis Petri, valeat gladius S. Pauli.*

Verum hæc nihil ad imperii occidentis titulum dignitatemq;. priuata ſunt. Imperium vero Græci nunquam in Papam tranſtulerunt, neque Papa ab illis accepit. Nó igitur in alium is transferre potuit. Hoc tantum ex traditione clauis & vexilli euincitur; non vrbis Romanæ poteſtatem habuiſſe pontificem eo tempore, quo Imperator occidentis renunciatus eſt Carolus, nedum imperii totius, vt transferre in Carolum poſſet. Quid amplius? Cum Leo pontifex duriſſime eſſet tractatus à Romanis, ad Carolum venit opem petiturus. Carolus in Italiam redeuntem pontificem non multó poſt ſubſecutus, Romam venit, & aduocata cócione populi, obiecta pontifici facinoris maximi crimina diſcutere, vt Rhegino ait, ſtuduit. Cum autem cauſa véntilata, vt idem Auctor ſcribit, neque áctor, neque teſtis legitimus appareret; pontifex iuriſiurandi religione ſeſe purgauit. Carolus autem in Papæ aduerſarios ſic animaduertit, vt quæſtione habitá, ſecundum legem Romanam, capitis eos damnaret. Sed inter-

intercedente pontifice, corporis pœna in exilium mutata eſt. Quis hic dominus Romæ eſt? Pontifex, an Carolus? Nónne is qui iudicium exercet, & exequitur, pontificem reſtituit, ſontes punit, pacem reddit, & ſummam rerum adminiſtrat? Attamen Imperatoris titulum nondum ſibi vendicat aut vſurpat Carolus. Quare? nondum coronationem ſcilicet à pontifice acceperat. Hinc ergo vt ad coronationem tranſeamus, res cauſaq; poſtulat. Hoc enim ordine hiſtoriam hanc perſequitur Sigonius, & quidam alii, contra Rheginonem & Vrſpergenſem. Sed conſtante rei veritate, in ordinis vſu faciles erimus. De corona à pontifice Leone impoſita Carolo vna voce omnes conſentiunt hiſtorici.

Sed præter ceteros hoc memorabile in primis habet Auentinus; *Irenem orientis imperatricem miſiſſe legationem illuſtrem ad Carolum Magnum in Germaniam, qui Aquisgrani tunc fuerit, pacemque cum eo perpetuam feciſſe: tum titulum etiam illi à marito & filio ante tributum confirmaſſe, vt Cæſarius præfectus vrbis Romæ, & ſacri Romani imperii gubernator appellaretur. Romani vero & Leo pontifex mittebant ad eum, & Romam attrahebant. Quin pontifex etiã ipſe Ratiſponam vſque excurrens eòdem illum inuitabat. Quocirca anno Chriſti 800. tempore hiberno cum co-*

piis magnis ille Italicum iter ſuſcepit, & locis cunctis tantî honores ei habiti ſunt, vt ſi Deus ipſe in terras veniret, maiores vix tribui poſſent. Et cum mulier Conſtantinopoli imperaret, quod inauditum eſſe videbatur, putabant Romani ſe poteſtatem & ius habere eligendi Cæſarem: quod imperium ex ipſis eſſet & nominaretur. Tenebat autem Carolus iam omnes prouincias, quæ ad vrbem Romam pertinebant. Itaque anno Chriſti 801. Leo Papa, ſenatus & populus Romanus Imperatorem illum deſignabant. Cumq; in templo S. Petri cum pontifice precaretur, Romani electionem hanc publicauerũt, acclamantes alta voce, iuuenes & ſenes, ſenatus & populus, clerici & politici: CAROLO Auguſto, à DEO coronato, Magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Hoc teſtimonium ſcriptoris Germani ſi parum fortè te mouet, audi Onuphrium, cuius verba ſunt: *Carolus coronatus & cõſecratus rex Francorum in villa Franciæ Cariſiaco à Stephano Papa II. anno Chriſti 752. Imperator appellatus Romæ in Baſilica S. Petri, in Vaticano, cleri, ſenatus, populiq; conſenſu, & coronatus ibidem à Leone III. anno domini 801. ineunte, Calendis Ianuarii, videlicet die natalis domini.* Marianus etiam Scotus diſertè ait: *Carolus hoc tempore à Romanis Auguſtus appellatus eſt.* Sigebertus ad eundem modum; *Romani,* inquit, *vno omnium*

omnium conſenſu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis coronant. Nec pluribus opus eſt in re tam manifeſta. Sed quorſum hæc? Primum vt intelligatur, non per coronationem Papæ, ſed per electionem ſenatus populique Romani tranſlatum eſſe imperium in Carolum. Id enim apertè vna mente vnaq; voce teſtantur hiſtorici. Ac ſi fortè non ſatis apud te valent teſtimonia, valeat ratio, quæ eiuſmodi eſt, vt fidem omni iure faciat. Coronari enim nemo poteſt, niſi prius ſit deſignatus & electus. Iam ſi probaueris, ius poteſtatemque eligendi Imperatorem occidentis penes pōtificem fuiſſe, fatebor ab eo tranſlatum eſſe imperium ad Carolum. Sed reclamant hiſtorici, refragatur ratio. Itaq; adduci nemo ſanus poteſt, vt tibi aſſentiatur, Bellarmine, & credat à pontifice profectam eſſe imperii dignitatem, tributamq; Carolo. Deinde id etiam ex teſtimoniis recitatis liquet, cunctorum ordinum conſenſu electum eſſe Carolum, cleri, ſenatus, populi. Vbi ſi ſub clero etiam pontificem comprehendi vis; non repugno: ita tamen, vt quod omnium eſt ordinum, id vni pontifici ne attribuas. Hæc electio Cæſarem fecit Carolum, hæc in ſede Imperatoria & Auguſta collocauit. Coronatio vero & acclamatio electum & confirmatum declara-

uit. Quid? quod Marianus Scotus ne mentionem quidem pontificis facit: quemadmodum nec neceſſe eſt eius mentionem fieri, niſi miniſtrum quo ad coronandum Romani ſunt vſi, nominatim recenſeri velis?

Erras igitur vehementer, mi Bellarmine, ſi coronationi tranſlationem imperii aſcribis. Vehementius vero erras, ſi eam electioni anteponis. Eſt enim hæc confuſio rerum, quam nemo ſanus probauerit. Tu ſi probas, mirari profecto in mentem venit. Eſt enim adeo apertus error, vt vel cæcus videat. Vide enim quæ abſurda ſequantur, dato hoc inconuenienti maximo. Sic argumentaris: Papa coronam impoſuit Carolo. Ergo imperium occidentis ad eũ tranſtulit, vel Imperatorem fecit. Deus bone quam multiplex eſt fallacia in hoc Argumento! Eſt. n. ἀργὸς λόγος, καὶ νοσῶν ἐν ἑαυτῷ. Elucet in primis fallacia ex non cauſa, quaſi ex cauſa. Coronatio enim nequaquam cauſa eſt Imperatoris, ſed facti, deſignati, electi, creati, teſtimonium publicum. Quod niſi concedis, in laqueos te induis, vel certè inſcitiæ atque imperitiæ crimen ſubis: quod perſona tua prorſus indignum eſt. Erat iam ante impoſita Carolo corona ferrea Modæciæ ab Archiepiſcopo Mediolanẽſi. Hîc tu dices Archiepiſcopum Mediola-

diolanenſem tranſtuliſſe regnum Longobardicum ad Carolum? Erat iam ante partum à Carolo illud regnum belli iure. Coronatio vero ceremonia tantum fuit ſiue ritus, quo factus rex declararetur.

Quemadmodum nec dici poteſt, cum primum idem Carolus à Stephano II. Papa Francorum rex inunctus eſt, per eam vnctionem regnum Franciæ ad illum eſſe tranſlatum. Quis adeo demens eſt, vt liquorem illum odoratiſſimum, cœlitus demiſſum olim Remigio, quo Francorum reges Remis inunguntur & ſacrantur, credat regni collationem aut dationem eſſe? An non regis deſignati, vel legitimè ſuccedentis ſignum potius eſt, vel publica ceremonia? Quid Romæ florente Republ? An non aliud erat facere, deſignare, creare, aut deligere cõſulem, & aliud renunciare? Quorum illud in comitiis fiebat centuriatis, quibus centuriatim colligebantur ſuffragia, hoc vero ad populum, cui tribus ſua ſtudia atque ſuffragia indicabant. Quid hodie fit? Sigiſmundus Polonorum rex, à quo regnum tibi videtur habere? ab Archiepiſcopo'ne Gneſnenſi, qui coronam ei impoſuit, an à regni ipſius proceribus? In Dania anno Chriſti 1537. coronam impoſuit Chriſtiano III. Ioannes Bugenhagius Witteberg-enſis Eccleſiaſtes. Hunc tu propterea dices regnum

contuliſſe regi? In populo Iſraëlitico Prophetę reges inungebant. An ita impii erimus, vt à Prophetis tributum eſſe regnum dicamus regibus? Neque profecto eſt, quod exiſtimem Prophetæ ſimilem eſſe velle Papam Romanum: quippe qui neque mandatum habuit à Deo coronandi Carolum, neq; etiam opibus, potentia & amplitudine vlla ex parte Prophetæ poteſt comparari.

At non volo, inquies, coronationi pontificiæ tantum tribuere, vt per eam tranſlatum eſſe imperium ad Carolum cōtendam. Quid vis aliud? quid habuit Papa, quod in Carolum conferret, præter coronam, quæ tamen pontificis non fuit? Si enim imperialis corona fuit, iam non pontificis, ſed imperii fuerit neceſſe eſt. At pontifex certe imperium non fuit. Quomodo ergo dare aut conferre coronam potuit? Agnoſcere tandem mihi videris errorem, quo te implicas, dum id quod cauſa non eſt, cauſam facis. Coronatio enim Imperatorem non facit, ſed factum declarat. Nec valet argumentum in hoc genere, niſi à conſequente ad id, quod neceſſario anteceſſit, Vt, coronatus eſt Carolus Magnus à pontifice. Ergo antè Imperator creatus eſt. Audi modo Onuphrium, quem velut honorarium arbitrum inter te & me nō repudiabis. *Cum primùm*, inquit,

quit, *Imperator & Auguſtus renunciatus fuiſſet, à Romano pōtifice vngebatur, aureoque diademate coronabatur, tanquam Romani imperii, immò totius orbis primario ſacerdote; more accepto ab Imperatoribus orientalibus, qui à Patriarchis Conſtantinopolitanis, primariis Græcanici imperii pontificibus conſecrati, aurea corona redimiebantur.* Et paulo poſt ait: *Eratq; coronatio ipſa perinde ac præcipuum ſignum legitimi imperii, ſicut antiquis temporibus erat ignis prælatio.* Sed cur tantopere pontificiam coronationem vrgeas, pæne coniectura proſpicio. Is enim eſt ſenſus diſputationis tuæ, non eſſe quenquam Imperatorem, niſi coronam à pontifice acceperit, & confirmatus ſit. Hoc ſi ita ſentis, quemadmodū reuera ſentis: multum profecto de dignitate & maieſtate imperii Romani detrahis, & monarchiam Romanam interruptam, mancam & mutilam reddis. Quot enim ſunt Imperatores, qui coronam non accepêre à pōtifice. Quos ſi Imperatores fuiſſe negas, impius es, & monarchiam Romanam mutilas. Profer iura, deprome exempla. Ludouicus, inquis, Cunradus, & Henricus, quibus corona à pontifice tributa non eſt, Imperatores Romani nō fuerunt, niſi fortè deſignatos dicere velis. Quid audio? An non hoc eſt alligare imperatoriam maieſtatem ad pontificem

Romanum, ita vt ſine eius confirmatione aut coronatione Imperator Romanus eſſe nequeat. At imperarunt hi tres ab anno Chriſti 899. vſque ad annum 936. quo Otho primus imperium adeptus eſt.

Tanto igitur tempore, tua quidem opinione, imperium non fuit imperium, monarchia non fuit monarchia, electus ab imperii ordinibus Imperator non fuit Imperator. Durum id eſt nimis & impium in imperium à Deo conſtitutum.

At Chronici, inquis, & hiſtorici non Imperatores, ſed reges vocant tales. Certè Sigebertus Ludouicum Imperatorem nominat Romanum. Et addit: *Ludouicus propter Tyrannorum in Italia inſolentiam, & multam malorum ingruentiam non meruit imperialem benedictionem.* Quid Cunradus, qui Ludouico ſucceſſit, faciat in tanta perfidia? Papa enim Sergius Berengarium Italiæ regem coronauerat, & Auguſtum appellauerat, vt ſcribit Onuphrius. De Henrico ille ipſe ſcribit; *Glorioſum quidem illum fuiſſe in vincendis inimicis, ſed tyrannos ex Italia eiicere non potuiſſe. Ideoque nec imperialem benedictionem conſecutum eſſe.* Quod modeſte hic ſcriptor *imperialem benedictionem* vocat, tu Bellarmine, non ſolum *imperialem coronam*, ſed etiam *Auguſti nomen dignitatemque*

tatemque appellas. Fateor autem à nonnullis Chronologis reges appellari hos Imperatores, quos nominaui: & quidẽ in decretis ipſis, diſtinctióne ſexageſima tertia. Sed quid de Cunrado Nauclerus ſcribit? *Omniũ*, inquit, *electione regnũ accepit*. Quid? an non Romanorum rex & Imperator tibi eſt, qui omnium electione regnum conſequitur? Dicam ingenuè quod res eſt. Hiſtorici pleriq; omnes, qui de his Imperatoribus aliquid literis conſignarunt, ſub iugo pontificio fuerunt. Itaque ad præſcriptum & nutum pontificis ſeſe totos conuertere coacti ſunt, accuratéque cauere, ne quid contra Eccleſiæ Romanæ voluntatem ſiue auctoritatem ſcribere vel muſſare viderentur. Decet enim cocum domini ſui gulam habere, vt in verſu dicitur. Quia ergo pótifex reges hoſce tres, non Imperatores iudicauit, nõ fas ſibi eſſe arbitrati ſunt hiſtorici, aliter eos appellare. Parum autem differt id, quod libero ore nõ loqueris, ab eo quod auribus das, & aſſentationis cauſa dicis.

Ne tamen de fama & exiſtimatione hiſtoricorum aliquid detrahi à me videatur, malo dicere, cõſuetudine & temporũ iniuria factum eſſe, vt quod pontifex vellet, idem etiam ſcriberent hiſtorici. Perſuaſum enim hoc fuit cũctis, ſancta eſſe omnia, quæ

pontifex ſtatuiſſet. Nec tutum etiam fuit vnguem latum à decretis eius recedere. Itaque excuſati magis ſunt habendi viri optimi, qui ad gratiam pontificis loqui aut ſcribere coacti ſunt: quanquam interim libertatem ſummis votis exoptarunt. Quod ſi tu aliter ſcriberes,non iam pontificius eſſes, ſed collectam gratiam omnem effunderes. Sed non eſt obſcurum,quid velis aut moliaris. Imperatores eſſe negas omnes, qui à pontifice imperium non acceperint. Quid aliud hoc eſt, quàm imperii neruos incîdere? Si enim Imperator non poteſt eſſe, niſi coronatus ſit à pôtifice: duo incommoda maxima ſequuntur. Primum, coronationem eſſe neruũ imperii,atque adeo ἀξίωμα ſeu κῦρος illius omne in coronatione ſitum eſſe. Deinde electionem Imperatoris, quæ fit à proceribus imperii, nihil valere abſque pontifice,vel certè,ſi quid valeat,valere propter pôtificem. Hoc quam contumelioſum ſit in imperiũ, omnes ſani intelligunt.

At Caroli Magni quidem imperium nihil roboris aut firmamenti à pontifice habere iam ante demonſtraui. Turpiſſima eſt igitur adulatio, & indigna viro docto, coronationi pontificiæ omnem dignitatem imperialem aſſcribere, vt ſine illa Imperator, quantumuis legitimè electus, Imperator

prorſus

prorſus eſſe nequeat. Apage cum iſta corona pontificia, quæ Rudolpho Sueuorum Duci fatalis erat ad interitum. Hunc enim pontifex Gregorius in Henricum Imperatorem incitarat, & auream coronam nouo & ante illum diem inaudito exemplo ad eum miſerat: addita Epigraphe inſolente & ſuperba:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Hac inflammatus & impulſus Rudolphus contra Imperatorem ſuum, cui fidem ante obligarat, arma cepit, & in conflictu ad Eliſtrum Myſiæ dexteram amiſit, nec multo poſt vita expulſus eſt. Quanto rectius ſibi & imperio conſuluiſſet, ſi coronam hanc fatalem & impiam proieciſſet, & conculcaſſet. An tu exiſtimas, Bellarmine, Imperatorem non fuiſſe Rudolphum Habſpurgenſem, qui Italiam adire recuſauit, & pontificis faciem nō vidit, imperium vero inauguratione ſolemni accepit? Attrahere quidem illum conabatur pontifex Nicolaus, & cū obſequi nollet, indigna paſſus eſt. Sed quid faciat optimus Imperator? libidinem auaritiamque pontificis perſpiciebat, nefarios motus Italiæ nouerat. Studebat enim pontifex agnatos ſuos Italiæ reges facere, iura imperii illis tribuebat, immunitates nō paucas vēdebat: tum minabatur etiam, ſe Exarchatum occupaturum eſſe. Maluit igitur Imperator Exarcha-

tu cedere, & magno pontificiam gratiam emere, quàm cum periculo Italiam adire. Nihilominus vero Imperator ſalutaris & vtilis Reipubl. extitit, legitimeque imperium adeptus eſt, & adminiſtrauit. Quod ſi tu negas, veritatem ipſam ſciens prudenſq; oppugnas. Nondum etiam forte ex animo optimi Imperatoris effluxerat id; quod Arnolpho Imperatori accidit, qui cum Romam veniſſet, coronā quidem à pontifice accepit, ſed accepto pharmaco extinctus eſt.

Quid de Carolo IIII. dicam? qui vt imperialem coronam cōſequeretur, Romam pedes ingreſſus eſt, & à quodam ſenatore oratione ad populum in Capitolio habita, falsè deluſus. Sic enim dixit ille: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, vt ſcribit Nauclerus Generat. 46. Plures ſunt Imperatores, qui coronam pontificis neglexerunt, imperialem nihilominus habuerunt. Ac ſi verum fateri vis, imperialem coronam ſatis eſſe Imperatori non negabis. At imperialis corona imperii eſt, non pontificis. Niſi igitur confundere vis imperium, & pontificem, dicere non audebis, titulum, dignitatem, & auctoritatem Imperatoris à pontifice proficiſci. Maximilianus I. coronatus eſt Aquisgrani, & verus, omnique exceptione maior fuit Imperator, qui res magnas ſalutaresq;

tareſq; imperio geſſit. Carolus V. ibidem coronatus non minus Imperator Auguſtus & ſalutaris fuit ante coronationem pōtificis, quam poſt acceptum ab eo, anno 30. diademá. Confeçit bellum Gallicum, capto rege Franciſco ad Ticinum, expugnauit Romam, & ducatum Mediolanenſem recuperauit. Hos & alios ſi tu Imperatores fuiſſe negas, vide ne in violanda Republ. fraudem inexpiabilem concipias. Scilicet honorem hunc pietatis cauſa habuerunt aliquando Imperatores pontifici Romano, vt coronam ſibi ab eo imponi paterentur: ſed tāquam à miniſtro Eccleſiæ, non à domino imperii. Id enim iam ante legitima electione procerum regni conſecuti ſunt, nec à pontifice expectarunt. Eſt autem ſummæ inhumanitatis, ne dicā impietatis, id quod honoris cauſa tribuitur, iure fieri exiſtimare, & religione pietateq; Imperatorum ſic abuti velle, vt inde ius poteſtasque transferendi imperium eliciatur.

Eſt etiam ritus quidam Eccleſiaſticus copulandi ſponſum & ſponſam per miniſtrum in conſpectu ſeu facie Eccleſiæ. Sed túne hinc efficies, copulationis illam ceremoniam eſſe poteſtatem collocandi in matrimonium? Minimé. Non enim ſacerdos copulans matrimonii auctor eſt, ſed cōtracti teſtis,

Nec aliud eſt copulatio talis, quā teſtimonium, ſeu cōſecratio ſolemnis in facie Eccleſiæ, cum pia inuocatione Dei, vt initum coniugium benè feliciterq; euenire ſinat. Quid multis? Sufficit teſtimonium vnum Sigeberti & Vincentii, quod tu quoque allegas. *Romani*, inquit Sigebertus, *ab Imperatore Conſtantinopolitano iam diu animo deſciuerant, nunc arrepta occaſione opportuna, quia mulier excæcato Imperatore Conſtantino filio ſuo, eis imperabat, vno omniū conſenſu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumq; per manus Leonis Papæ coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant.*

Audis Romanorum, non pontificis, fuiſſe coronationem, Caroloq; per manus Leonis, hoc eſt, per miniſterium Papæ coronam eſſe impoſitam. Quod autem per pontificem fecit populus, an non tibi videtur ipſemet feciſſe? Quod ſi pergis Papæ poteſtatem vrgere atque tueri in transferendo imperio: facilius mihi fuerit probare, Imperatores habuiſſe ius eligendi pontificem, atque ordinandi ſedem Apoſtolicam, quàm tibi erit demonſtrare, Papæ conceſſum fuiſse ius creandi aut confirmandi Imperatorem. Ius enim eligendi pontificem, ordinandique ſedem Apoſtolicam, ad Carolum Magnum tranſtulit Hadrianus Papa, conſentiente pro-

te procerum auctoritate, vt ſupra demonſtratum eſt.

Quid Vrſpergēſis? *Ordinatis*, inquit, *Romanæ vrbis, & Apoſtolicis, totiuſque Italiæ non tantum publicis, ſed etiam Eccleſiaſticis rebus, Imperator Româ egreſſus eſt.* Idem in Sigeberto legitur. Ex quo ſane manifeſtum eſt, Carolum etiam Eccleſiaſtica ordinandi & conſtituendi poteſtatem habuiſse. Diſtinctio 53. in decretis, conceſſam eſse, ait, Othoni primo perpetuam poteſtatem ordinandi pontificem ſummum ſedis Apoſtolicæ. Henrico III. Clerus & Romani omnes iureiurando confirmarunt, ſe nullum pontificem, niſi quem ipſe dediſſet, facturos eſſe. Etſi autem de hoc iure certatum eſt variè inter Imperatores & pontifices: tamen quicquid obtinuerunt pontifices & adhuc tenent, id Imperatorum conceſſu & beneficio tenent, qui id repetere ſuo iure, inde à Carolo Magno, Othone, Henrico IV. & V. vſque ad ſe propagato, poſſunt. Ac fuerunt etiam ſubiecti Imperatoribus pontifices vſque ad annum Chriſti 1076. Licet deinceps fraude inexpiabili imperium inuaſerint. Conſtat enim Henricum IV. abrogaſſe pontificatum Benedicto X. & in locum eius ſubſtituiſſe Nicolaum II. Henricus vero V. recuperauit quidem ius poteſtatem que conferendi

epiſcopatus, & abbatias, vel prælaturas per annulũ & baculum: ſed eripi ſibi viciſſim paſſus eſt ab eodem Paſchali, qui conceſſerat.

Fruſtra etiam laboras, dum nón tantum inungendi & coronandi, ſed confirmandi etiam ius pótifici tribuis. Quis enim cõfirmauit Carolum Magnum? populus. *Deo*, inquit Sigonius, *diisq; ritè in auxilium inuocatis, imperatorius ille titulus à populo cõfirmatus eſt.* Vides nec confirmandi poteſtatem penes pontificem per id temporis fuiſſe. Quid igitur relictum eſt pontifici? Electio? At, ea electorum eſt ſiue principum ac procerum. Confirmatio? hanc vero populus Romanus olim ſibi vendicauit, nunc vero VIIviri, ſiue imperiales Electores ſuam eſſe cófirmant. Vna relinquitur pontifici coronatio. At ne hæc quidem neceſſariò à Papa petitur. Petita eſt ſæpius quidem, ſed honoris & pietatis cauſa. Sæpè etiam prætermiſſa & neglecta periculi & ſumtuum gratia. Res enim eſt plena periculorum & inſidiarum, adire Italiam, quæ multos à corona pontificia deterruit. Ludouicus V. non à pontifice, ſed à Cardinali Stephano Columna, conſentiente ſenatu, clericis, populoq; Romano, reclamante vero pontifice, inauguratus eſt. Alii ab Archiepiſcopis coronantur. Maximiliano quidem primo ab Archiepi-

ſcopo

ſcopo Colonienſi corona Caroli Magni impoſita eſt. Eodem modo alii etiã coronati ſunt ante Maximilianum & poſt, ſecundum Caroli IV. bullam auream. Quos omnes veros, & imperiali decore cumulatos Imperatores eſſe exiſtimo: nec fas eſt ſecus de illis exiſtimare. Coronatio vero à quo fiat parùm refert, nec operę precium eſt in hiſtoriis perſonas nominare, quæ diadema impoſuerint.

Sumtus vero pontificum auaritia nimis auget, & cumulat, quos qui vitare poteſt, reprehendi non debet. Quod ſi tam liceret Archiepiſcopis pallio Romano carere, quam licet Imperatoribus vacare coronatione pontificia: profectò tanti linum illud haud redimerent. Pontificis enim benedictiones nimis magno precio mercari oportet, cuius magnitudo non immeritò aliquos deterret, ne eas petant.

Fridericus Barbaroſſa, vt ſcribit Cranzius lib. 6. cap. 16. Saxoniæ, anno Chriſti 1155. compreſſis & domitis Mediolanenſibus, Romam pergere cogitabat accipiendi diadematis cauſa. Quo cognito, Romani obuiam ei mittebant oratores duos, petitum ab iniuſto clericorum dominatu liberationẽ, formæq; Reipubl. veteris reſtitutionem, cum quinque millibus librarum argenti. Imperator poſtula-

tis inſolitis & intolerabilibus non parùm commotus, reſpondebat, imperii Romani maieſtatem iam olim ad Germanos eſſe trãſlatam, nec mercari precio eam amplius neceſſe eſſe. Adhæc periniquum ſibi videri, populum leges ſuo principi ferre, pecuniamq́; ab eo exigere.

Hadrianus verò pontifex, quanquam placidè cum eo agebat Imperator, ea tamen erat ſuperbia & inhumanitate, vt duo ſe vituperare in eo diceret: primum, quod deſcendenti ſibi de equo ſiniſtrum non dextrum ſtapedem tenuiſſet: ſecundò quod nullum beneficiũ adhuc in Romanam Eccleſiam contuliſſet. Imperator optimus, tametſi excuſabat ſe pontifici & populo, tamẽ tumultus aduerſus eum ſedari non potuit. Quid Carolo Caluo accidit? an non pecunia & muneribus à præſule ſedis Apoſtolicæ nomen Imperatoris emere coactus eſt? vt ſcribit Sigebertus, Otho Friſingẽſis, & Rhegino. Nullum enim officium vnquam fuit tam ſanctum, atq; ſolemne, quod nõ pontificum quorundam Romanorum auaritia comminuerit & violarit. Narrat etiam Vrſpergenſis, Papam accepiſſe immenſam pecuniam, vt Fridericum primum excommunicaret. Quod ſi pecunia emi coronam à pontifice oportet: non video cur magnopere eam Imperato-

res

res ſibi requirendam ducant. Malè enim res ſe habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ.

Sed enim gratiam tibi debet imperium, quòd eum honorem ei habes, vt electionem Imperatoris principibus illius tribuas, confirmationem vero pōtifici aſſcribas. Sic enim confirmationem, vnctionem & coronationem coniungis, vt ea ad pontificem referas, electionem vero principibus electoribus relinquas. Scilicet cæcum te adeò reddit amor pontificis, vt plus etiam ei, quàm veritas & dignitas imperii concedit, largiaris. Quid enim? ſuperiórne eſt is, qui eligit, an qui electum confirmat? Ita Papam tuum iterum effers ſupra omnem poteſtatem & maieſtatem, quæ in mundo eſt, & numen ex eò facis, quod imperium in omnes, quos terrarum orbis complectitur, habeat. Quod quæſo, quid aliud quam monſtrum horrendum eſt, à quo Deus & natura abhorrent? Vanitas vanitatum eſt, mi Bellarmine. Oppoſui iam ante pontificiæ confirmationi exemplum Caroli Magni, qui non à pontifice, ſed à populo confirmatus eſt. Nunc decretum accipe VIIvirûm imperialium, quod anno Chriſti 1338. fecerunt, vt ſcribit Auentinus lib. 8. Id tibi, niſi quid me fallit, cumulatiſſimè ſatisfaciet.

Sacrum Romanum imperium, ait, *magiſtratus ſummus eſt in mundo, & à nullo eſt, niſi à Deo, nec vllius hominis in terra feudum eſt. Neque Imperator ſuperiorem habet in mundo, ſed proximus eſt Deo. Imperium immediatè habet à Deo, nec eſt ſimilis illi in terris, nedum ſuperior. Supremus enim eſt, per quem Deus mundo omnia iura, leges, ordines, & regna mundi dat hominibus.* Quicunque ergo à ſeptem imperii principibus Electoribus Imperator deſignatur, is ſtatim accipit plenam poteſtatem, nec cogitur ad pontificem mittere, nec indiget eius confirmatione. Papæ partes nullæ ſunt in hoc negotio. Coronatio illius eſt tantùm decus, & deſeruit in eo tanquã miniſter & ſubditus ſuo domino. Ex electione enim Cæſar & rex omnem poteſtatem ſuã habet. Quod tametſi veriſſimum eſt, ab omnibuſque doctis, hiſtoricis, & legum ſacrarum ciuiliumque peritis vna mẽte, vnaque voce comprobatur, tum ſacris etiam literis conſonum eſt: tamen inueniuntur nonnulli, qui fortunæ ſucceſſu elati, faſtuque & auaritia impulſi aliter dicere audent; non ſine ingenti detrimento Chriſtiani orbis: vnde bella cædeſq; naſcuntur, principes Electores cunctiq; ordines læduntur, & iure ſuo priuantur.

Idem decretum paulo poſt repetitum eſt in conuentu

conuentu Francofurdiano, præſente Angliæ rege, diſerteque concluſum ſtatutumque, Papam nihil prorſus habere iuris aut poteſtatis in Romanũ Imperatorem, nec conuenire illi vllam partem iurisdictionis ciuilis.

In medio eſt etiam Friderici I. Imperatoris grauiſſima ſententia. *Quicunque*, ait, *nos imperialem coronam pro beneficio à domino Papa ſuſcepiſſe dixerit, diuinæ conſtitutioni, & doctrinæ patrum contrarius eſt, & mendacii reus erit.* Factum eſt hoc decretum anno Chriſti 1157. Cranzius lib. 9. Saxoniæ. *Electus à principibus, aut à maiore aut ſaniore parte, adminiſtrationem habeat citra aſſenſum pontificis.*

Nam ea quæ præter hæc introducta ſunt, nec diuino iure, nec vlla patrum ordinatione, ſed blanda quorundam aſſentatione, & Romanorum ſpontanea ingeſtione pontificum prouenerunt.

Electus inſinuetur Romano pontifici, quod ſit princeps catholicus, iuſtus, imperio dignus, petaturque coronatio: quæ (niſi obſtiterit manifeſta cauſa) ſi negatur, ſumatur conſecratio à quouis Catholico pontifice. Nam omnes illæ ſolemnitates per Eccleſiam introductæ fuerunt.

Quis enim Romanus pontifex conſecrauit Cõſtantinopolitanos Imperatores? & quis ante Carolum nul-

tos Chriſtianos Cæſares? Et ante Conſtantinum ethnicos quis ſacrauit Imperatores? Deinde ordinatum eſt, quod Imperator præſtabit pontifici & Eccleſiæ defenſionis, deuotionis, & humilitatis, non fidelitatis, homagii, aut ſubiectionis iuramentum: quia temporalis dominii Papa Imperatori nihil tribuit, immò Eccleſia ſumſit omnia illa ab imperio. Gladius enim vterque nihil habet commune: cum alter animam, alter ſolum corpus conficiat. Ibiq; decreto firmatum eſt, quod vacantis imperii adminiſtrationem pontifex habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola vſurpatio introduxit. Hæc tum principibus in cœtum imperii congregatis viſa fuere in rem Chriſtianam obſeruanda. Poſſem idem etiam pluribus confirmare, ſi neceſſe eſſet. Gloſſa equidem manifeſta eſt ſuper verbo, Imperatorem, diſtinct. 93. c. legimus. *Ex ſola electione principum*, ait, *verus eſt Imperator, antequam à Papa confirmetur*. Verum ſat ſcio in hoc variari inter iuriſconſultos, quorum alii Cæſaris ius, auctoritatemq; tutati ſunt, alii ad Papæ ductum ſeſe applicarunt. Oblata eſt enim optimis etiam, nec male ſentientibus viris tempeſtas quædam formidoloſi temporis, quo non quid Chriſtus, quid Apoſtoli, quid patres ſancti docuiſſent, ſed quid pōtifex fieri vellet, aut iuberet, auſcultādum fuit. Maneat ergo hoc, fixumq; ſit, neq; vnctionem, neque

corona-

coronationem neceſſariam eſſe ad imperialem dignitatem aut maieſtatem, multo minus confirmationem electi Imperatoris à pontifice petendam. Excluſus pontifex ab imperiali confirmatione, ſemotus, ſegregatus, reiectus. In rem alienam inuadit, ſi partem vllam electionis aut confirmationis Imperatoris ſibi arrogat. Gladium ſumit à Deo & magiſtratu denegatum, ſi vllum ius aut poteſtatem in imperio ſibi vendicat. Corruit etiam omnis poteſtas pontificis examinandi, approbandi, reiiciẽdi Imperatorem electum, quam C. *venerabilem, de electione*, ei tribuit.

Vides, Bellarmine, nihil eſſe relictum pontifici, quo ſe iactare atque oſtentare poſſit. Eſt enim ex faucibus eius erepta omnis poteſtas conſtituendi regendique imperium, tum eligendi & cõfirmandi Imperatorem, vt nulla ex parte is pontificis cõſilio, ſiue auctoritate, approbatione, confirmatione, aut coronatione indigeat. Vna ſupereſt Apoſtolica poteſtas, quã tu ita extollis, vt nihil poſſit ſupra. Quam autem Apoſtolicam nominaſti poteſtatem, eãdem mox Eccleſiaſticam vocas, vt nihil differre Apoſtolica poteſtas ab Eccleſiaſtica ſumma & eminentiſſima videatur. Definitionem autem huius poteſtatis aliam nõ ponis, niſi hanc: poteſtas Eccleſiæ ſumma:

& eminentiſſima eſt imperium non modo in priuatos homines, ſed etiam in reges, & Imperatores Chriſtianos, vt exigente cauſa Chriſti & Eccleſiæ, poſſit eos regnis & imperiis priuare, eaque regna & imperia ad alios transferre. Imperium quidem tu non nominas: ſed quid aliud eſt prçeſſe priuatis hominibus & regibus, Imperatoribuſque, vt tu dicis, quam imperare hominibus omnium ordinum in orbe Chriſtiano?

Non eſt, mi Bellarmine, hominis ſani hæc definitio. Non enim fundamento nititur vllo diuini aut humani iuris. Et ſi Papa caput Eccleſiæ, vt tu appellas, tantam poteſtatem in reges & Imperatores habet, vt liceat ei regna & imperium ab aliis ad alios transferre: an non eodem modo poteſtatem habebunt inferiores miniſtri Eccleſiæ in ſuis miniſteriis inferioribus, vt liceat illis vel magiſtratum abrogare, vel bona quæcunq; ab aliis ad alios transferre? Quod enim in capite valet aduerſus capita, idem valebit in membris aduerſus membra.

Quid quæſo in vlla parte politiæ integrum inuiolatumq; à miniſtris Eccleſiæ relinquetur? Quis paterfamiliâs ſuam domum, fundos, liberos, & alia quæ poſſidet, obtinebit? An non omnia ad arbitriũ libidinemque pontificis, & miniſtrorum̃ Eccleſiæ transferentur?

Hoc

Hoc quid eſt aliud, quam rerum dominia tollere, & fundamenta ciuilis conſociationis euertere? Quis audebit dicere, Hoc meũ eſt, ſi ita poteſtatem Eccleſiaſticam definieris? An non dicendum erit nobis omnibus? Hoc ex ea parte meum eſt, quatenus per poteſtatem Eccleſiaſticam licet, cui conceſſum eſt à me ad alium transferre, ſi Eccleſiæ cauſa videbitur exigere.

Hoc quam abſurdum & impium commentum ſit, tibi fortaſſe in mentem non venit, cum poſuiſti definitionem Eccleſiaſticæ poteſtatis tam abhorrẽtem ab omni iure diuino & humano. Quæ enim tu ſcripturæ teſtimonia allegas, nihil faciũt ad rem, ſed genus interpretationis diuinorum teſtimoniorum illiberale prorſus, & ridiculum inducunt. Id quod perſequi nolo, ſed ſtrictim tantùm attingam.

Chriſtus dixit ad Petrum: Tu es Petrus, &c. dabo tibi claues regni cælorum. Item: Petre paſce oues meas. Alia teſtimonia ferè non habes. Quid inde tu vis efficere? Ergo Papa eſt caput Eccleſiæ: Papa eſt omnium Chriſtianorum pater & paſtor: Papa præeſt non modo priuatis hominibus, ſed etiam regibus & Imperatoribus, vt exuere eos poſſit regnis & imperiis, exigente cauſa Eccleſiæ. Quæ eſt hæc conſequentia? Petro datæ ſunt claues regni cæ-

lorum; Item, Petro commiſſa eſt cura paſcēdi oues Chriſti. Ergo Papa eſt caput, vel ſummus paſtor Eccleſiæ, habet poteſtatem transferendi regna & imperia. Tota argumentatio ex tenebris erroris atque inſcitia manat, & ad adulationem turpem inuenta atq; comparata eſt. Quæ enim eſt Papæ ad Petrum proportio aut comparatio? Petrus fuit Apoſtolus. Ergo Papa eſt Apoſtolus. Quis Apoſtolum fecit Papam? quam partem muneris Apoſtolici attingit aut exequitur pontifex? Quod ſi Papa poteſtatem transferendi regna & imperia acceptam habet à Petro: doce Petro datam eſſe talem poteſtatem, aut ab eo vſurpatam. Hoc niſi feceris, vana eſt gloriatio & impia. Quod enim Petrus non habuit, quomodo id transferre ad ſucceſſorem potuit? Si etiam claues regni cęlorum poteſtatem concedunt transferendi regna & imperia: transferre licebit regna & imperia omnibus Eccleſiæ miniſtris. Nota eſt enim tibi interpretatio Theophylacti, qui, Quamuis, ait, Petro ſoli dictum ſit, dabo tibi, omnibus tamen Apoſtolis conceſſæ ſunt claues, cum dixit dominus: Quorumcunq; remiſeritis peccata, numero plurali ſcilicet, non ſingulari. Et quia omnibus miniſtris Eccleſiæ commendata eſt cura paſcendi oues Chriſti, dataq; poteſtas remittendi peccata atq; retinēdi:

non

non video quamobrem non omnibus etiam ſit conceſſum illud ius, quod tu pontifici tribuis, vt poſſint transferre regna & imperia. Tum vt fidei profeſſio toti Eccleſiæ cum Petro communis eſt, ita Papæ nihil relictum eſt in verbis Chriſti, quod peculiare habeat.

Hæc, mi Bellarmine, adeo manifeſta ſunt, vt pueri etiam intelligant in ſcholis. In quibus ſi tu ſapientiam aliquam mirificam ponis, valde erras. Nõ enim fieri poteſt, vt ex hiſce teſtimoniis ſtabilias aut probès tuas illas hypotheſes ſiue ſentẽtias, vt vocas, Romanum pontificem eſſe patrem & paſtorem omnium Chriſtianorum. Quo iure? profer mandatum, exhibe tabulas. Item, Papam ita præeſſe regibus & Imperatoribus, vt imperiis exuere eos poſſit, ſi Eccleſiæ cauſa exigat. Alia eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis ſiue miniſterii Euangelici definitio, quæ tota ex verbis Chriſti, quibus pontificii tantopere confidunt, contexitur. Huius duæ ſunt partes, vna ordinis, altera iuriſdictionis. Ordinis quidem poteſtas mandatum eſt docendi legem & Euangelium, adminiſtrandique ſacramenta. Hoc demum vere eſt paſcere oues Chriſti, rectè docere Euangelium, & rite adminiſtrare ſacramenta à Chriſto inſtituta: iuriſdictionis vero poteſtas eſt mandatum ligandi &

ſoluendi, hoc eſt, excommunicandi eos, quorum delicta manifeſta ſunt, & Eccleſiam offendunt: abſoluendi vero & recipiendi in communionem Eccleſiæ omnes qui pœnitentiam agunt. His duabus partibus vniuerſum Petri, & omnium miniſtrorum Eccleſiæ officium comprehenditur.

Hinc ſi efficere tu vis, Papam habere ius transferendi regna & imperia, in Chriſtum ipſum contumelioſus & iniurioſus es, qui Eccleſiam ſuam & poteſtatem Eccleſiaſticam accuratis limitibus à politicis imperiis ſecreuit, cum dixit; Regnum meum non eſt de hoc mundo. Item, Vos autem nõ ſic. Et Paulus ad Timotheum ait: Nemo militans Deo ſecularibus negotiis ſe implicet. Et apud Prophetam inquit Deus: Relinquam in medio tui populũ egenum, & pauperem. Nulla habet Eccleſia Chriſti præſidia humana, nullam potẽtiam politicam, nec alia ſunt ei arma, quam verbum & precatio. His dimicarunt Apoſtoli, omnesq; adeo Chriſtiani omnibus ſeculis. Qui vero humanam potentiam, aut ius transferendi regna ſibi arrogat, is Apoſtolorum diſcipulus & ſectator minime habendus eſt.

Quæ tu allegas exempla de poteſtate pontificis in reges & Imperatores non iuris ſunt ſed facti. Aliud vero eſt quod iure fit, aliud quod corrupto

quo-

dam ſeculi more, aut tyrannide fit. Quod ſi etiam oſculati ſunt Imperatores pontificis pedes, aut deſcendenti de equo ſtapedem tenuerunt, id tu iure vllo factum eſſe exiſtimabis? Inuiti repugnanteſq; hoc fecerunt optimi Imperatores: niſi forte ſuperſtitione, quæ totum mundum inundauerat, omniumq; Chriſtianorum mentes occuparat, moti, piè ſanctéq; id ſe facere iudicârunt.

Nihil etiam efficis, ſi duos gladios Petri vrges. Iuſſus enim erat is à Chriſto gladium ſpiritualem comparare, quo per id temporis maximè opus erat, vtpote quo certamen acerrimũm impendebat, nõ armis aut gladio, ſed verbo & ſpiritu decernendum. Nec vlla eſt ſyllaba in his Chriſti verbis, quę ad duos gladios, hoc eſt, imperia duo, alterũ Eccleſiaſticum, alterum politicum, accommodari queat. Nõ enim hîc magiſtratum inſtituit Chriſtus, ſed ad certamen fidei & ſpiritus ſuos hortatus eſt. Gladii vero politici vſum paulo poſt prohibuit Petro, cũ illum iuſſit gladium in vaginam recondere. Et ſi maximè gladius eſſet ſpiritualis alius, alius ciuilis, quid id ad tranſlationẽ imperii Romani per pontificem? Non enim alius gladius ei deberetur quam ſpiritualis, qui à ciuili ita diſtinctus eſt, vt nihil in eum iuris habeat. Habet executionem etiam Eccleſiaſtica poteſtas,

ſed non ſtringendi gladium,quem Deus ſoli politico magiſtratui commiſit. Claues regni cælorum datæ ſunt Eccleſiæ, non transferendi aut donandi regna, vt tu ingenti erroris opinione ſcribis. Ac in exempla ſi intueri vis, habes Chriſtum ipſum, Petrum, Paulum, Apoſtolos, qui gladiũ nullum præter Spiritualem attingere voluerunt, ſed politico magiſtratui obedientes fuerunt. Quid vero? ſi Imperator impius ſit, an non à pontifice coërcendus eſt? Reſpondeo, caſtigandus eſt, ſed verbo, non vi, aut regni alienatione. Theodoſius Imperator 7000 homines per iram Theſſalonicæ trucidari iuſſerat. Impium & intolerandum facinus! Sed quid fecit Ambroſius? imperio eum exuit, illudque ad alium tranſtulit? Minimè. Id enim ſi feciſſet, non epiſcopi munere functus eſſet, ſed gladium ſumſiſſet à Deo prohibitum. A communione eum arcet, obiurgat, & ad pœnitentiam agendam adigit, quam vbi egit, rurſus eum abſoluit. Hoc veri fuit epiſcopi. Quando aut vbi legiſti, Chriſtum aut Apoſtolorũ vllum in terris imperia ab alio ad alium tranſtuliſſe? Quãdo hoc epiſcopus Eccleſiæ auſus eſt.

Quare faceſſat definitio tua Eccleſiaſticæ poteſtatis, quę neque in verbo Dei fundamentum habet, neque iure vllo confirmari poteſt: tum in principes

cipes Electores etiam iniurioſa eſt. Præripit enim, vel intercipit omnem eorum poteſtatem eligendi & confirmandi Romanũ Imperatorem, dum Papę poteſtatem transferendi imperium ad aliam perſonam & gentem concedit. Profecto iurisiurandi religione ita aſtricti ſunt principes Electores, vt non niſi ex Germanica natione Imperatorem creare poſſint. Iam ſi Papę ad aliam nationem transferre licet imperium, quæ principum in eligendo erit auctoritas? Aliis ergo laudibus ornes põtificem tuum neceſſe eſt, ſi gratum ei facere cupis. Tali adulatione magis eum deformas, & ex epiſcopo ſeu paſtore Eccleſiæ lupum & tyrannum horribilem & execrãdum facis. Quod ſi neque Eccleſiæ poteſtate transferre potuit Papa imperium occidentis à Græcis ad Carolum Magnum, apertum, manifeſtumque eſt, eum nullo modo tranſtuliſſe. Quæ eſt igitur gloriatio tua de tranſlatione imperii ad Francos per pontificem Romanum? Certum in primis eſt, Papam non fuiſſe dominum imperii. Donare ergo quî potuit? Planum etiam nunc factum eſt, non Eccleſiaſtica aliqua poteſtate illum trãſtuliſſe. Quo pacto igitur tranſtulit? Cum autem hactenus demonſtrauerim, iure belli acquiſitum eſſe à Carolo occidentis imperium: oſtendendum deinceps eſt,

quomodo Græci alienationē imperii à ſe ad alium tulerint.

Ac quoniam bellum omne, quod legitime ſuſcipitur aut geritur, vel defenſio eſt, vel pœna, vel recuperatio: quæri poteſt, ad quodnam genus Caroli bellum referendum ſit, quo occidentis imperium peperit? Expediri quæſtio facile poteſt ex iis quæ ſupra de conſilio Dei in conſtituendis monarchiis dicta ſunt. Conſtat enim, fato dari poteſtates, vel principatum, vt Veſpaſianus dixit, cum duos patricii generis conuictos in affectatione imperii, vt deſiſterent, moneret. Interim vero nihilominus patitur Deus, armis, velut medio quopiā, parari regna ſiue monarchias, vt de Nimrodo, Cyro, Alexandro Magno, & Iulio Cæſare dictum eſt. Ac ita fit, vt bellum eiuſmodi quandoque pœna ſit, quandoq; recuperatio. Cyri quidem bellū, quo monarchiam Perſicam conſequebatur, abſque dubio pœna erat, cum aliorum delictorum, tum conuiciorum etiam, quæ Belſazar rex Aſſyriorum cum ſuis optimatibus vero Deo Iſraëlis fecerat. Accedebat etiā vindictæ cupiditas Gobriæ ducis, cuius filium Belſazar iniuſtè occiderat in venatione. Is enim ad Cyrum defecit, & cum Gabata primus vrbem & arcem Babyloniorum ingreſſus, regem trucidauit.

Alexan-

Alexandri verò bellum, per quod monarchia à Perſis ad Græcos translata eſt, fatale abſque omni dubio, nòn latrocinium, vt quidam pirata interpretatus eſt, fuit. Idem de Iulii Cęſaris bello cum Pompeio exiſtimandum eſt. Id quod colloquium Pompeii indicat, quod cum Cratippo in hortis ipſius habuit, cũ victus ex prœlio in Ægyptum profugeret, & ſe in cauſa iuſta victum eſſe, cõtrà quam fas eſſet, quereretur. Sic enim huic grauiſſimæ querelæ eius reſpondit Philoſophus, fatales eſſe imperiorum periodos, & iam conuerti Romanam Rempubl. in monarchiam. Interim nihilominus Iulii bellum pœna erat, qua Deus orbem terrę afficiebat: quemadmodum Alexandri Magni bellum contra Perſas vindicta erat, qua in libertatem vindicare ciuitates Græciæ ſtudebat, vt eſt apud Diodorum Siculum lib. 17. Iulii verò bellum ſine dubio pœna fuit auaritiæ, ſuperbiæ, luxuriæ, libidinis & diſſenſionum ciuilium, quibus Romana Reſpub. iam diu conflictata erat.

At Caroli Magni bellum, quo imperium Romanum adeptus eſt, partim pœna fuit, partim recuperatio. Pœna quidem negligẽtiæ Imperatorum Conſtantinopolitanorum, qui & ſedem imperii Romani ex occidente in orientem cum ingenti il-

lius incommodo & iactura trãſtulerant, & Gothos per 77. Longobardos vero per 206. annos in Italia regnare paſſi erant. Quo tempore benè lõgo occidentis imperium tumultibus, ſeditionibus, & bellis inteſtinis totum arſit, & incommoda plurima paſſum eſt. Notæ ſunt querelæ paſſim in hiſtoriis de Conſtantinopolitanis Imperatoribus, quod curam Eccleſiæ & politiæ pænè omnem in occidente abiecerint. Recuperatio vero fuit, quia per id reparatum eſt imperium Romanum, quod ante annos 324. in Auguſtulo exſpirârat. Hanc recuperationem ſiue occupationem grauiter moleſteque tulerunt Græci Imperatores, atque adeò impedire conati ſunt, vt niſi diuinitus ſuſcepta & comprobata fuiſſet, ſine dubio procedere aut ſtare non potuiſſet. Id hiſtorici multi cõfirmant: ſed ſatis ſit teſtimonium vnum aut alterum audiſſe. Auentinus ait; *Carolum quidem vniuerſum imperium Romanum expetiuiſſe, vt inſtaurare illud, atque in priſtinum nitorem dignitatemque reſtituere poſſet: eoque nomine legatos miſiſſe Conſtantinopolim, petitum imperatricem Irenem viduam in vxorem. Quæ quidem libẽter ei nupſiſſet, niſi repugnaſſent principes Græciæ, qui captam illam, inſpectantibus legatis Caroli, imperio priuarunt, & in inſulam ablegarunt. In locum vero illius Imperatorem fecerunt Nicephorum,*

phorum, quem volebant Francis imperium Romanum per vim & arma adimere, vt ſcribit Nauclerus Generatione viceſima ſeptima. Interim Conſtantinus Imperator ſiue gloriã Caroli peroſus, ſiue ab Adalgiſo rogatus, Italiam tumultibus quibuſdam inuaſit. Venerat eò non parua Græcorum manus, cædis quam imperii cupidior: ſed occurrunt ſubitæ Græcorum iniuriæ, Hilprandus Spoletanus dux, & Grimoaldus Benuentanus; fuitque pugna Græcis funeſtiſſima. Anno autem Chriſti 803. cùm Carolus Saliſburgi eſſet, venerunt ad eum Græci Imperatoris legati, Michaël epiſcopus, Petrus Abbas, & Caliſtus Cancellarius, pacemque cum eo ſempiternam fecerunt, hoc pacto, vt deinceps in omne tempus Imperator Carolus, omnesque eius poſteri in imperio Germanico nomen titulumque Romani & Latini Imperatoris in occidente, veterisque Romæ gererent: Nicephorus vero & poſteri eius Imperatores nouæ Romæ in oriente appellarentur: & quod infra Neapolim in Italia eſt, ad Conſtantinopolitanum, reliquũ ad Romanum imperium pertineret, vt Dalmatia, &c.

Hæc pax & tranſactio à Leone pontifice obſignata eſt. *Per hæc tempora*, inquit Cranzius, libr. 3. Saxoniæ, *reſtituitur occidentale imperium, & cepit*

orientale nõ amplius dici regnum Romanorum, ſed Græcorum. At quo iure? Ante oſtenſum eſt, iure belli, ſeu victoriæ tranſlationem talem eſſe factam: nunc demonſtratum etiam eſt, compoſitione ſeu tranſactione Imperatorum orientis & occidentis tranſlationem confirmatam eſſe. *Etſi enim*, vt inquit Sigebertus, *Romani iam diu animo ab Imperatore Cõſtantinopolitano defecerant: tamẽ ius imperii Romani omne ſibi vendicarunt orientis Imperatores, vſque ad illud tempus, quo titulo & poſſeßione eius ceßit Carolo Nicephorus, orientis Imperator.* Quocirca iure bono tranſlatio imperii à Græcis ad Carolum Magnum & ſucceſſores eius in hoc officii munere facta eſt, bello ſcilicet iuſto, populi Romani voluntate ſumma, & Imperatorum orientis conſenſu & approbatione, accedente vero pontificis coronatione, quaſi quadam promulgatione miniſtri, non domini, vt diſertè ſcribit Cranzius libr. 1. Metropolis. *Peregit tum*, inquit, *volente populo, cui ius ac fas eſſe videbatur de Imperatore creando, pontifex ſacrum in eo miniſterium.* Quod cum ita ſit, concidunt tuæ rationes, Bellarmine, quibus negas Romanum imperium iure belli à Francis acquiſitum eſſe, vel auctore ſenatu populoq; ad eos delatum, vel à Græco Imperatore ad Carolum Magnum eſſe deuolutũ. Quod

verò

verò cenſes, non ſine medio, nec ſine iure aliquo ſucceſſionis hereditariæ id factum eſſe, facile tibi largior. Sed per quæ media? per põtificem ais. Ego verò per bellum, populi Romani cõſenſum, & cum Imperatoribus orientis tranſactionem.

De Othone I. valde miror commentum tuum, quo auctoritate põtificis imperium Romanum ad illum tranſiſſe fingis. An non ſatisfacit tibi quod Witikindus ait? *Omnis populus Francorum atq; Saxonum iam olim deſignatũ regem à patre filium eius* Othonem *elegit ſibi in principem.* Et mox: *Summus pontifex Maguntiacæ ſedis Hildebertus, inaugurans illum, Accipe, inquit, gladium, quo eiicies omnes Chriſti aduerſarios, auctoritate diuina tibi tradita omni poteſtate imperii Francorum.* Quid hic deeſt Othoni ad imperium, ante pontificis Romani coronationem? Vide etiam quomodo tuum iudicium cum Rheginonis teſtimonio conſentiat. *Henricus,* inquit Rhegino, *rex, præcipuus pacis ſectator, ſtrenuusque paganorum inſecutor, poſt plures fortiter & viriliter actas victorias, dilatatisque vndique ſui regni terminis, VI. Nonas Iulii diem ſuum clauſit extremũ, cui filius ſuus* Otho, *cõſenſu primorum regni, ſucceſſor eligitur.* Quid? quod idem auctor Othonem iam acclamatione totius Romani populi, & cleri, Imperatorem & Augu-

ſtum appellatum, modo regem, modo Imperatorem nominat. Quid eſt igitur, quod in re ſeria, magnique momenti tam ſalſe ludatur? Quod ſi ante Othonem negas, Imperatorem fuiſſe Henricum Aucupem, & alios qui eum anteceſſerunt: vbi, obſecro te, fuit imperium? Inuidia eſt hęc indigna verbis aut refutatione vberiori. Fingis fortè ante Othonem I. apud Papam fuiſſe imperium: qui ſi imperium habuit, Imperator fuit, donec in Othonem illud conferret.

Sic laruas facis eos, quos Deus & magiſtratus legitimus Imperatores fecit, creauit, confirmauit, imperatoriaque auctoritate, maieſtate, & felicitate decorauit, & armauit. Neque vero ſatis habes Imperatores ita pontifici ſubiicere, vt ab ipſo auctoritatem imperialem accipere cogantur, ſed VIIviros etiam principes ſic ad pedes eius abiicis, vt inde ius eligendi Imperatorem habere dicas. Quod vt indignum eſt Germaniæ principibus; ſic à re & veritate alienum. Etſi enim nonnulli inueniuntur, qui à Gregorio V. vel à Gregorio X. VIIviros inſtitutos eſſe ſcribant: tamen id in aliam partem accipi non debet, quam tunc tulerunt tempora, hoc eſt, ſub Gregorio V. vel X. conſtitutionem de ſeptem electoribus promulgatam eſſe. Nec id mirum. In

eum

eum enim locum res adducta erat, vt ad pontificis Romani arbitrium, nutum, atque nomen omnes Chriſtiani ſeſe fingerent & accommodarent. Itaq; factum eſt, vt quicquid memorabile in orbe Chriſtiano gereretur aut fieret, id omne ad pontificem auctorem referretur. Nec eximium aut prædicandum quicquam habitum eſt, niſi à ſede & auctoritate Apoſtolica profectum eſſet. Quod ſiue religionis, ſiue ſuperſtitionis cauſa factum eſt, factum certè conſtat.

Et quidem ſic voluit Papa à ſe pendere omnia Eccleſiaſtica & politica: vt qui contrà quàm ipſe voluit auſus eſt, ſiue ſubditus, ſiue Imperator is fuerit, dirum excommunicationis fulmē effugere nōn potuerit. Vt ergo Imperatorum, ſic etiam Electorum dignitatem ſibi acceptam ferri voluit: & quicunque ſcribendi partes ea de re ſibi ſumſit, eum ad tempus oportuit ſtilum accommodare. Quemadmodum ne nunc quidem vllus in regno pontificio aliter ſcribere audet, quam curiæ Romanæ mos fert aut conſuetudo.

In promtu eſt huius meæ ſententiæ ratio. Politica res eſt principum Electorum cōſtitutio, & quidem neruus politici ordinis in imperio Germanico. At quid Papæ cum politico ordine? Eccleſiaſticus.

eſt ille, à ſecularibus negotiis ſemotus, vt vacare diuinæ militiæ, & curæ Eccleſiaſticæ, ſecundum S. Pauli præceptum, poſſit. Quis ergo credat eũ adeo ſui muneris & conditionis oblitum eſſe, vt in politico imperio Electores ordinare vnquam in animum ſuum induxerit? An non hoc eſſet aliena inuadere, falcem in meſſem aliam porrigere, aliis ius atq; honorem præripere? Scio põtifices & Cardinales bella geſſiſſe. Sed quo ſucceſſu? Infelici profecto, & pœnitendo magis quam celebrando. Leo Nonus bellum fecit Normanis, ſed victus magno prœlio captus eſt, & vix, accepta clade ingenti, dimiſſus, vt narrat Schafnaburgenſis. Iulius II. modo in Gallos, modo in Venetos arma expediuit, modo cum Venetis contra Gallum ſeſe coniunxit. Sed quid profecit? Seſe & Rempubl. tam dira bellandi & imperandi cupiditate perditum iuit. Iulianus Cardinalis in bello Huſſitico principibus Germaniæ non ſolum auctor ad ſuſcipiendũ expeditionem nouam contra Huſſitas extitit, ſed ipſe etiam exercitum 40000. equitum, ſed pauciorum aliquãtò peditum præceſſit, ſpeq; & animo inflatus Boiemiam ingreſſus eſt, hæreticorum villas incendit, & oppida diripuit. Sed ſimul ac hoſtes aduentare cognouit, abiecta pugnandi cupiditate in fugam fœdam ſeſe cõuertit,

uertit, antequam hoſtem vllum vidiſſet. Ita rebus communibus detrimenti plurimum attulit, anno Chriſti 1431. An non eiuſdem ſuaſu, pace rupta, Chriſtiani cladē miſerabilem à Turcis ad Varnam, anno Chriſti, 1444. acceperunt? In qua rex & Iulianus ipſe occubuerunt.

Quid Tomoræus Collocenſis archiepiſcopus in bello Vngarico contra Turcas effecit? Annon deteſtabili audacia & temeritate ſua regem Ludouicum & regnum Vngariæ perdidit? Quid Hippolytus Cardinalis in bello Caroli V. contra Solymannum Turcam, anno Chriſti 1532? An non pecuniam omnem pio ſtudio à Clemente Papa ex decimis ſacerdotum collectam ad debellandum Turcas, per luxuriam temerè effudit atque conſumſit, tum patriæ etiam damni multum dedit? Minus reprehendendus eſt Capiſtranus monachus, qui non vt dux, ſed vt concionator in obſidione Belgradi magna voce Chriſtianos ad pugnandum cum Turcis hortatus eſt. Infeliciter enim plerunque ſuccedit, quicquid extra metas profeſſionis ſuſcipitur: nec benè ponitur opera, quæ in re non mandata inſumitur. Itaque non incommodè quidam Theologus dixit, ſe, ſi miles eſſet, nolle in acie collocari cū clerico, aut ſacri ordinis homine. Fieri enim non

poſſe, vt feliciter dimicet in acie, qui ordinatꝰ eſt ad ſacra peragenda in templo. Quod ſi ergo pontifex. ius inſtituendi Electores ſibi vendicat, rectè obiici poteſt illi id, quod Leontius, epiſcopus in Myſia ad Iſtrum, Imperatori Cóſtantio oppoſuit, cum, quid in ſynodo agi vellet, poſtularet: *Miror te,* inquiens, *cum ad alia ordinatus ſis, alia tamen aggredi.*

Non obſcurum eſt, quid Bernhardus ad Eugenium Papam ſcripſerit: *Habent,* inquit, *hæc infirma & terrena iudices, reges, principes terræ. Quid vos alienos fines inuaditis? Diſce tibi ſarculo opus eſſe, non ſceptro, vt opus Prophetæ facias.*

Non igitur veris laudibus, meo quidem iudicio, pontificem ornant, quicunque politicam inſtitutionem VIIvirûm in imperio ei attribuunt. Nec agnoſcit pontifex, qui Apoſtolicum modo ſeſe profitetur, laudem à perſona ſua adeo alienam. Tantum, Cicerone auctore, cuique tribuere debemus, quantum is, cui tribuimus, poſſit agnoſcere & ſuſtinere. Politica igitur cum ſit hæc inſtitutio, quonam modo eam pontifex ſuſtinebit?

Hanc rationem, quia fundamentis ſolidis nititur, contemnere, Bellarmine, non potes. Fundamenta autem quæ ſint, non ignoras. Primum eſt Chriſti præceptum; *Reges gentium dominantur: vos*

autem

autem non ſic. Secundum Pauli eſt; *Vnusquisque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat.* Debēt enim vt ædificiorum fundamenta firma, ſic negotiorum cauſæ eſſe iuſtæ, ſecūdum oratorem Atticum. Hæc ratio equidem me inducit, vt credam pontificem non eſſe auctorem cōſtitutionis electorum VIIvirûm in imperio, neque velle eum, vt ſedi pontificiæ illa aſſcribatur; ne quid contra Dei verbum, ne quid contra decórum, vt Cicero vocat, in ſe admittere videatur. Eius enim eſt imperium ordinare, qui imperii dominus eſt.

Nec minus certe hæc inſtitutio pontificis ridicula eſſet, quam fuit donatio Nicephori Imperatoris Conſtantinopolitani, qui Helmgutum Caroli Magni legatū percontatus eſt de Saxonibus, quare eos Carolus tam potens nondum domuiſſet; *Miror*, inquiens, *gentem tam abiectam ab eo vinci non poſſe. Ego ſi contra eam venirem, aliter tractarem. Sed age, Cæſar ego ſum, atq; poteſtatem habeo efferendi hominem, & in ſummo dignitatis gradu collocandi. Quocirca tibi Saxones dono terramque eorum omnem, ac vt Saxoniæ dux ſis, volo.* Helmgutus domum reuerſus narrauit Carolo rem omnem, & donatum ſibi eſſe à Nicephoro Saxoniæ ducatum dixit. Carolus, *perridiculum*, inquit, *mihi narras. mallem ego tibi donatum*

eſſe à Nicephoro ſubligaculum. Parum certe abeſt, quin eodem modo principes Germaniæ etiã commentum pontificis de conſtitutione ſeptemviratus rideant, & illud vulgatum de tuo, *Largitor puer*, pronuncient.

Rationibus exempla addam ex rerum veterum monumentis, quæ liquidò demonſtrabunt, à principibus imperii, omnibus temporibus inde vſque à Carolo Magno, Imperatores eſſe lectos. Primum enim in Chronico quodam Saxonico legitur, Carolum Magnum quatuor Electores inſtituiſſe, tres ſcilicet Archiepiſcopos, Moguntinum, Colonienſem, Treuerẽſem; quartum vero, Maiorem domus, ſiue Comitem ſacri palatii ad Rhenum. Idque ob eam cauſam factum eſſe ait idem Chronicon: *Iudicauit prudentiſsimus Imperator, tametſi hereditaria ſucceſsio filiorum & poſterorum ſuorum in imperio Romano futura eſſet: tamen, ſi plures eſſent, qui ſimul imperium expeterent, facile diſsidium magnum excitari poſſe. Optimum igitur eſſe ratus eſt, principum Electorum iudicio electionem committi.* Quin in iure Saxonum fiduciario etiam lex Caroli, de tranſlatione electionis Imperatoris ad ſolos Germanos, reperitur. Quod autem in hiſtoriis non ſemper nominatim recenſentur hi principes, cum Imperator deſignatus

tus eſt: inertiæ atque negligentiæ ſcriptorum tribui poteſt; de qua negligentia querelæ ſunt nõ iniuſtæ plerorumq; eruditorum.

De Arnulpho conſtat, quod non tam iure hereditario, quam principum ſuffragiis ad imperium euectus ſit. De filio vero & ſucceſſore eius Ludouico, cum nihil mandatum ſit literis, dubitari poteſt, vtrum iure hereditario tantum, an vero principum aliqua electione imperium obtinuerit. Poſt eius mortem quatuor electores conuenerunt, & in conſilium adhibitis Saxonibus, petiuerunt, vt ſibi ad obtinendum imperium adiumento eſſent. Quibus reſponderunt Saxones, per ſibi mirum videri, eos ſibi ſolis electionem Imperatoris vendicare. Eoque rem adduxerunt, vt duo principes è Saxonibus electioni adhiberentur. Vnde aliquanto poſt ad domum Saxonicam & Brandeburgicam electoralis dignitas deuénit. Hi ergo, tametſi variarunt vota in electione Imperatoris, tãdem tamen Cunradum Franciæ ducem deſignârunt. Cunradum ſecutus eſt Henricus Auceps, qui anno Chriſti 920. Friſlariæ in frequenti conuentu principũ Franconię, Turingiæ, Saxoniæ, Sueuiæ, Bauariæ, & aliarum nationum, Imperator delectus eſt. Otho, Henrici filius, quamuis iam ante rex deſignatus eſſet à patre, tamẽ

ab omnibus ordinibus imperii Francorum atque Saxonum Imperator electus eſt. Filius huius Otho II. anno Chriſti 961. Wormaciæ, conſenſu & ſuffragatione regni procerum, totiusque populi, Imperator creatus eſt. Similiter Otho III. à principibus & epiſcopis anno 984. Imperator electus & coronatus eſt. Hic cum filio herede deſtitueretur, videretq; Romanos & Italos omni ope & opere eniti, vt Imperium à Germanis ad ſe, vel ſi id minus poſſent, ad aliam nationem transferrent, conſilium cepit, vt, compreſſis & pacatis Italis, ſecundum Caroli Magni conſtitutionem, ſoli Germani imperium retinerent, & è ſuis principibus ius poteſtatemque perpetuam deſignandi Imperatorem haberēt. Ante omnia igitur Romam profectus turbas omnes ſedauit, &, mortuo Ioanne Papa, Brunonem Germanum, qui Gregorius quintus fuit dictus, in ſede pōtificia collocauit. Inde cum vix digreſſus in Germaniam eſſet, Creſcentius conſul Romanus Gregorium pontificem ſede mouit, & alium ſubſtituit, tum vrbem etiam præſidiis & commeatu aduerſus Imperatorem muniuit. Gregorius profugus ad Imperatorem venit, vim & contumelias Creſcentii conquerens. Imperator vero indigne iniuriam tantam ferens, Romam redit, vrbem circumſidet, &

paucis

paucis diebus expugnat, Creſcentium capit, & pœna, quam meritus erat, afficit, Gregorium vero in ſede Papali reponit. Hęc perfidia crebriq; tumultus, defectiones, & rebelliones Romanorum mouerūt Imperatorem, vt quod ante ſapiēter cogitarat, tum perficiendum arbitraretur. Itaque excluſis Italis, ad ſolos Germanos poteſtatem eligendi Imperatoris tranſtulit. Rationes huius facti ſui complures habuit. primùm, ne aliis atque aliis in locis deincèps Cæſares crearentur: tum vt diſſenſio omnis, quæ ante ſæpius inter Francos & Germanos extiterat, tolleretur: poſtremò, ne Itali contra Græcos & Saracenos patrocinio deſtituerentur.

Etſi autem non deſunt mihi teſtimonià Chronicorum Germanicorū, quæ ſeptem Electores eos, qui adhuc ſunt, inſtitutos ab Othone III. dicant: nihil tamen in re non ſatis explorata affirmare audeo, ſed paulatim & ipſe credo, dignitatem Electoralem ad VII viros, ſiue principes ſeptem, & ad certas familias deuolutam eſſe. Scribit enim Cranzius ex his familiis ſeptem principes Electores, anno Chriſti 1209. in conuentu Wurcepurgenſi fuiſſe, Odoacrum Boiemiæ regem, tres Archiepiſcopos, Sigefridum Moguntinum, Dithericum Colonienſem, Ioannem Treuerenſem, Henricum Palatinum

Rheni, Bernhardum Saxoniæ ducem, Albertum I. Brandeburgicum. Suntque eædem familiæ poſtea etiam in aurea bulla Caroli Quarti poſitæ. Sed parum refert, ante conuentum illum hi ſeptem principes Imperatorem elegerint, an tum demum mos iſte cęperit. Fieri enim potuit, vt vniuerſi ordines ad electionem conuenerint, ſicut hodie fit, & ſeptem tantum delecti Imperatorem inde ab Othone vſq; III. deſignarint. Illud potius ſpectandum, quod in quæſtione eſt, vtrum pontifex aliquis Electorum ordinem inſtituerit, nec ne? Ante Othonem profecto nulla fit in hiſtoriis mentio pontificis in electione Imperatorum, à Carolo Magno vſque. Othone vero III. imperante, aliqui putant Gregorium V. ſeptemviratum inſtituiſſe, quod tamen hiſtoriæ veritas minimè concedit. Alii malunt referre hanc conſtitutionem ad auctorem Gregorium decimũ, qui anno Chriſti 1271. pontificatum adeptus eſt. Iam Gregorius V. merito excuſatus habetur, vtpote qui pulſus ſede põtificia ad Imperatorem Othonem confugit exul & cliens. Etſi autem ab eo reſtitutus priſtinam dignitatem recuperauit: tamen in turbis Romanis vix ſtetit. Et conſentaneum eſt, ſi non alia re, pudore tamen illum prohibitum eſſe, ne ſe patrono ſuo, & Imperatori anteponeret, hono-

remque

remque illi debitum præriperet, & Electores principes ordinaret. Et certè, ſi amauit Gregorius, vt debuit, Imperatorem, à quo tot beneficia acceperat; nihil ei in imperiali maieſtate præreptum à ſe voluit. Si vero odit, quod quidem Dithmarus ſcribit, ingratusque fuit, & nefaria in eum molitus eſt; profectò Imperator paſſus nõ eſt ab illo quidquam in imperio ordinari aut conſtitui. Quorum vtrumvis ſi conceſſeris, non factam à Gregorio conſtitutionem talem reperies. Sunt tamen, qui factam ab Othone, comprobatã verò & promulgatam à Gregorio ſcribunt.

Quod autem in Sigeberti ſupplemento legitur, mortuo Henrico Imperatore, anno Chriſti 1125. Moguntiæ conueniſſe legatos Apoſtolicæ ſedis, archiepiſcopos, epiſcopos, & optimates imperii, communiq; aſſenſu elegiſſe Lotharium Saxonem, nihil facit pro põtifice, quaſi eius partes aliquæ fuerint in electione Imperatoris. Solent enim adeſſe ſæpius in comitiis legati pontificii, verum non vt electores, ſed vt ſpectatores: id quod Otho Friſingẽſis declarat apertius, cum ait: *Tractum eſſe Lotharium ad regnum ſub præſentia ſedis Apoſtolicæ legati.* De geſtis vero Friderici Barbaroſſæ diſertè idem ait: *Albertus Moguntiæ Archiepiſcopus cunctis princi-*

pibus,qui aderant, perſuaſit,vt Lotharium regem facerent.

Nullæ igitur in hoc actu partes pontificis fuere,neque vt ſint vllæ,ſtatus imperii permittit. Nihil neceſſe eſt plurium Imperatorum hiſtoriã percurrere,quippe quæ abunde declarat,à principibus imperii electos eſſe Imperatores,quotquot Othonem III. ſecuti ſunt, non conſulto pontifice. Quandocunque autem pontifex ſuas partes interpoſuit, & vel Imperatorem creari iuſſit,vel ipſemet, miſſa corona, confirmauit, ab officio receſſit, & imperium diſſenſionibus,turbis & nefariis bellis implicuit.

Gregorio decimo multo minus aſſcribi Electorum inſtitutio poteſt. Ac miror quid in mentem venerit his, qui cõmenti huius auctores extiterunt. Certè ad confirmandam rem tantam & rationibus grauioribus vti decet, & teſtimoniis hiſtoriarũ non contemnendis. Pontificis quidem electionem inſtituere potuit Nicolaus ſecundus,vt habet *c. in nomine,diſt.23.*ſaluo tamen debito honore & reuerentia regis Henrici: Imperatoris verò electionem non potuit inſtituere. Plus apud me valet aſſeueratio Cranzii,qui ait, anno Chriſti 1209. principes Electores ſeptem in conuentu Wurcepurgico fuiſſe, quam aliorum, qui anno Chriſti 1271. quo Gregorius

rius decimus Papa factus eſt, electores ordinatos eſſe comminiſcuntur. Quo ſane magis mirari conuenit audaciam pontificum eorum, qui ius electionis Imperatorum, vel arrogarunt ſibi, vel electos ab imperii proceribus Imperatores indignis modis inſectati ſunt & exagitarunt. Bonifacius VIII. Albertum primum, cum Romam petitum coronam imperialem veniſſet, ſuperbiſſime repulit: *Ego,* inquiens, *Cæſar ſum, & pontifex; nec abſque mea auctoritate electio Imperatoris rata eſt.* Pius II. Ditherico Iſepurgio Moguntinæ ſedis præſuli archiepiſcopatum abrogauit, eumque excommunicauit, quod promittere noluiſſet, ſe pro iure ſuo, quod more inſtitutoque maiorum habet, nolle principes Electores conuocare, niſi conſulto prius & aſſentiente pōtifice.

Leo X. Caroli V. electionem, miſſis per Germaniam nunciis, impedire conatus eſt, tum operā etiam dedit, ne electus ille Aquisgrani coronaretur. Sed nihil eius conatus apud inuictos Germaniæ principes valuit. Ferdinandus Imperator legatum ſuum Gutzmannum Romam miſerat, vt de ſuſce-

petere. Cui reſpondit Pius V. neque Carolo imperium tradere vlli licuiſſe, niſi ſedi pontificiæ, neque Ferdinando ſine eiuſdem conſenſu accipere. Mox Cardinalibus ſuis, iuriſque peritis partes reſpódendi dedit de quæſtionibus compluribus, quarum prima fuit: An non legatus Ferdinandi explicare pontifici debeat cauſas tranſlati à Carolo ad Ferdinandum imperii? Secunda, an legitima ſit traditio imperii ſine conſenſu Papæ & ſedis Apoſtolicæ? Tertia, an non mala educatio filii ipſius regis Boiemiæ, qui ad manifeſtam hæreſin inclinet, item permiſſio colloquii Wormacienſis abſq; conſenſu Papæ, tum alia neglecta, quæ in iureiurando de Eccleſiæ Catholicæ defenſione, hæreſiumq; extinctione comprehenduntur, obſtēt, quo minus imperialis dignitatis capax ſit Ferdinandus? Quarta, quid de principibus Electoribus faciendum, qui ab Eccleſia Romana defecerint? Longum eſſet recenſere, quid de ſingulis quæſtionibus reſponderint Cardinales & Iuriſperiti. Sed hoc in primis eſt animaduertēdum, quod exiſtimarunt, omnia quæ Francofurti in electione Ferdinandi acta eſſent, irrita eſſe, propterea quod ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcepta & geſta eſſent, & quidem ab iis perſonis, quæ ob hæreticam prauitatem gratiam & facultatem electoralem

lem

lem omnem amiſiſſent. Reliqua non libet attingere. Sunt enim indigna pontifice Romano. Legatus interea Romæ detentus, audiri ſe & dimitti fere indies poſtulauit. Sed impetrare nihil trium mẽſium interuallo potuit. Tandem reſponſum eſt, pontificem de re tota deliberationem grauiorem ſuſcipere velle, & dimiſſus legatus.

Habes, Bellarmine, refutationem ſcripti tui, neque acerbam neq; contumelioſam, ſed placidam ac lenem, ad veritatem tamen, & candorem Germanicum accommodatam. In qua in primis demonſtraſſe mihi videor, pontificem non habuiſſe imperium occidentis, & iccirco neque donare, neq; transferre ad vllum potuiſſe. Fuit enim Græcorum Imperatorum vſque ad tempus illud, quo Carolus Magnus primum bello, populique Romani ſuffragatione, denique Imperatoris Conſtantinopolitani conſenſu & traditione Imperator occidentis factus eſt. Tum id etiam planum à me factum eſſe arbitror, nullum ius poteſtatemque vnquam habuiſſe pontificem creandi aut deſignandi vllum Imperatorem: quod neque fas hoc ſit dictu, neque hiſtoriarum teſtimoniis comprobari poſſit. Tandem ra-

mo, electores nequaquam à pontifice inſtitutos eſſe, neq; quidquam ab eo accepiſſe, quod vel auctoritatem tanti muneris ſtabiliat, vel amplitudinem augeat: ſi quid vero ſibi ex ſeptemviratu decerpere Papa velit, aut arrogare, contra ius fasq; id fieri.

De induſtria vero vitaui tam exemplorum copiam, quàm orationis vbertatem. Quid enim neceſſe eſt in ſingulis partibus omnium hiſtoricorum teſtimonia proferre, cum vnum aut alterũ ex probatiſſimis ſatis eſſe poſſit intelligenti? Nec libuit in diſputationem iurisconſultorum veterum ingredi, Imperatórne, an põtifex ſuperior ſit: cum in medio ſit præceptum Chriſti, quo dominatum abrogat Apoſtolis & Eccleſiaſticis: tum in promtu etiam ſit exemplum Chriſti & Petri; quorum vterque Imperatoris edicto ſe ſubiecit. Ex quo Oroſius ait: *Chriſtus filius Dei, homo natus, Romano cenſui ſtatim aſſcriptus eſt, atque ita Cæſarem Auguſtum dominum orbis terrarum ſignauit; & qui auctor hominem fecerat, hominem ſe, inter homines, adſcribi voluit.*

Hæc profecto eiuſmodi ſunt, vt nulla ſophiſtica labefactari, quantumuis omnes ingenii neruos contendas, omnemque ſcribendi facultatem adhibeas, poſſint.

Neque vero defuiſſet facultas vehementius inuehendi

uehendi in commenta de pontificum iure poteſtateq; imperandi Cæſaribus & principibus. Potuiſſem quoque eorundem pontificum conatus nefarios multos commemorare, quibus & potentiam ſuam iniuſtam exaggerare ſtuduerunt, & imperii auctoritatē libertatemq; labefactare & imminuere. Sed cum pateant ea, in promtuq; ſint æque tibi ac mihi, & labore & verborum multitudine ſuperſedendum eſſe iudicaui.

Tu acriori & vehementiori quadam incitatione inflammatus mēdacia ſtatim appellas omnia, quæ non ſatis probabilia tibi eſſe videntur. ſed memineris velim, tibi etiam excidiſſe multa in tuo ſcripto, quæ parum roboris ac firmamenti habeant. Ea ſi mendacia ego appellem, an non iracundior & inciuilior multò, quàm moderatio Philoſophica ſuadet, tibi videar? Malui igitur falſa, quàm mendacia nominare ea, quæ tu ad gratiam pōtificis magis quam ad veritatem ſcribis. Etſi enim in falſo mendacium ineſt, vt Cicero ait; nō omnis tamen lapſus ex falſa opinione & errore, mendacium dicendum eſt: alioqui quot Philoſophorum mendacia numerabimus? Sic in diſputatione etiam fieri poteſt, vt

eſt illud Ciceronis; *Natura nos noſter delectat error.* Quo ſanè ęquiores eſſe debemus aliorum cenſores, nec ſtatim mendacia appellare ea, quæ ad nocendum comparata non ſunt. Cuiuſmodi tua eſſe arbitror, quæ pro ſtabilienda pontificis Romani auctoritate, & poteſtate ſumma in terris accumulas. Tametſi enim à veritate procul abſunt: tamen ſi diſputandi cauſa, aut declamitandi abs te ſcripta ſunt, Salluſtii verecundiam imitãdam eſſe putabo, qui de Siſenna ſcribit, eum optimè quidem & diligentiſſimè perſecutum eſſe hiſtoriam Syllæ, ſed parum libero ore locutũ. Nec eſt quòd in contrariam partem rapias hanc meam de modeſtia in ſcribẽdo admonitionem, quaſi mendacii patronus ſim, aut res ſuis nominibus appellari nolim. De his tantum loquor, quæ dubitationis aliquid habere poſſunt. De quibus qui ſcribit ea, quæ & rationibus probabilibus, & teſtimoniis non malis nituntur, φιλόδοξος, vel *opinioſus*, forte iuſtius, quàm *mendax* vocabitur.

Mendacia equidem ego odi, veritatem autem tanquam matrem omnis boni oſculor. Cui te quoque non minus quam Muſis & Gratiis ſacrificare, ſi mecum diſceptare vis, opto. Vera autem ſcribere non poteris, niſi, excuſſo pontificis iugo, liberè ingenueque

genueque id quod res eſt profitearis. Et vero quid eſt, quod põtificis cauſa falſum teſtimonium dicas? Quod quantum ſit peccatum, ex teipſo nôſti.

Quod ſi magis te delectat Neoptolemi ingenium apertum, quam Vlyſſéa ars ad fallẽdum comparata: non committes, vt eloquentia ad ſalutem hominibus data vel ad excuſandum, vel ad tuẽdum pontificias fraudes impias abuſus eſſe videaris. Profecto quæ pro pontifice tu ſcribis, pontificio ſtilo, non tuo ſcribis: quemadmodum Demades, cum decretum alienum à patriæ libertate feciſset, nõ ſe, ſed haſtam Alexandri id feciſse dixit.

Quid turpius, quid fœdius, quam dicere? *mihi vero placet quicquid facit Papa.* Vel cum regiis iudicibus apud Herodotum profiteri, *nullam ſe inuenire legem, quæ ſinat fratrem ducere ſororem: quandam tamen inuenire legem, qua liceat regi facere quicquid libeat.* Quanto honeſtius eſt id, quod vir fortis ait apud Homerum? *ſe magis quam portas inferorum odiſſe eum, qui aliud ore promtum habeat, & aliud pectore clauſum teneat.* Odioſa eſt omnino, & inuiſa Deo ac hominibus ſophiſtica, quæ fucata ſpecie, & neſcio quo ſimulationis artificio falſa pro veris ven-

Romano ſcribere ſi vis, vera ſcribito, hoc eſt, verbo Dei ſancto cōſentanea, & cum re ipſa congruentia. Si enim ea tribuis pontifici, quæ verbum Dei, & profeſſio optimis nominibus denegant: an non genus orationis impium, tum illiberale etiam in Eccleſiam & Rempubl. inducis? A quo quidem vitio tantum te abeſſe cupio, vt optem te quod animo ſentis, id cum omnibus bonis vultu promtum habere, & lingua.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE